



TRACTATUS
PATHOLOGICUS
DE
AFFECTIBUS FEMINARUM
PRÆTERNATURALIBUS,

Auctore DD. GERALDO FITZERALD, Regis Consiliario & Medico, in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio Dignissimo.

Opus posthumum, revisum & emendatum.



PARISIIS,
Apud DURAND, viâ San-Jacobeâ, sub signo Griphi.

M. DCC. LIV.
Cum Approbatione & Privilegio Regis.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INDEX.

SECTIO PRIMA.

De chronicis feminarum affectibus.

CAP. I. *DE Chorosi*, pag. 1
CAP. II. *De mensium suppressione*, 26
CAP. III. *De immodico mensium fluxu*, 48
CAP. IV. *De fluore albo*, 67
CAP. V. *De uteri hydrope*, 90
CAP. VI. *De uteri prolapsu*, 113
CAP. VII. *De cancroso uteri tumore*, 137
CAP. VIII. *De passione histericâ*, 160

SECTIO SECUNDA.

De morbis mulierum acutis.

CAP. I. *De furore uterino*, 185
CAP. II. *De uteri inflammatione*, 208
CAP. III. *De abortu*, 230
CAP. IV. *De partu difficili*, 253
CAP. V. *De immodico lochiorum fluxu*, 275

CAP. VI. *De lochiorum suppressione*, 292
CAP. VII. *De febre lactea*, 306
CAP. VII. *De dolorificis vel saltem tactu & visu fœdis mammarum, & abdominis post partum rugis*, 320



TRACTATUS




TRACTATUS
PATHOLOGICUS
DE
AFFECTIBUS FEMINARUM
PRÆTERNATURALIBUS.

PROŒMIUM.



UXTA ſexûs diverſitatem, omnes ferè pathologiæ ſcriptores in viriles & muliebres, morbos diviſerunt, utpote quòd, præter eos, qui utrique ſexui communes ſunt, non pauci deprehendantur, quibus nunc viri, nunc feminæ ſolent infeſtari. Poſteriores hoſce affectus, feminis nimirum, ſi non peculiares, ſaltem familiares magis, jam aggreſſuri ex cogitata methodo, clarioris doctrinæ gratiâ examinabimus, contagioſa tamen ſyſtemata cautè vitando, quæ morborum cu-

rationem non revelare ſed celare potiùs videntur ; & dum affectuum cauſas & ſymptomata explicabimus , hoc vel ex cognita partium affectarum labe, vel ex conjecturis, ſed ſaniorum praxi, ſemper innitentibus, perſolvere conabimur. Interim totum huncce Tractatum in duas Sectiones dividemus, in priori ſcilicet chronicos, in poſteriori acutos feminarum morbos diſtinctis capitibus examinaturi.



SECTIO PRIMA.

De Chronicis Feminarum Affectibus.

CHronicus affectus is eſt, qui diù & cum periculo durat. Hìc ergo muliebres hujus generis morbos examinaturi, præcipuos tantùm exponemus ; quare eos ad ſequentes reducere juvat, Chloroſim ſcilicet, menſium ſuppreſſionem , immodicum menſium fluxum , fluorem album, uteri hydropem, ejuſdem uteri prolapſum, cancroſum uteri tumorem, & paſſionem hyſtericam.



CAPUT PRIMUM.

De Chlorosi. Morbi descriptio & definitio.

QUæ colore præternaturaliter pallido totius corporis habitûs & præsertim faciei ad viridem vel plumbeum vergente conspurcantur feminæ, cum notabili membrorum torpore, seu ad motum ineptitudine, respirandi difficultate, dum parum, à consuetis, recedentia perficiuntur exercitia, cordis palpitatione, levioribus de causis, ciborum assuetorum inappetentia, & absurdorum desiderio, illæ, inquam, icteritiâ albâ, febre amatoria, vel quod idem est, chlorosi laborare non immeritò dicuntur, præsertim si nulla fuerint graviditatis indicia.

Symptomatibus jam recensitis accedunt alia, dum diù perseverat morbus, palpebrarum nempe & pedum tumor œdematosus, dolorosa capitis gravitas, arteriarum temporalium pulsatio valida, frequens tristitia; &, si femellæ sunt menstruationi maturæ, menstruorum adest suppressio, aut notabilis imminutio.

Hæc quidem symptomata frequenter observantur, nec tamen omnia ægris omnibus essentialia sunt: quapropter juxta

ea quæ morbi naturæ magis affixa ſunt, illum juvat definire. Chloroſis itaque eſt præternaturalis totius corporis habitûs & præſertim faciei color pallidus, viridis vel plumbeus, membrorum torpore, ſpirandi difficultate, cordis palpitatione, abſurdorum appetitu ſtipata.

Morbi Differentiæ.

Præcipuæ hujus affectûs differentiæ nunc à duratione, nunc à ſymptomatum vehementia, à compoſitione, vel à cauſarum varietate non incongruè deſumendæ ſunt.

1°. Itaque vel à brevi temporis ſpatio apparent ſymptomata, vel per plurimos menſium variorum orbes ſui præbent univoca ſatis indicia; hinc chloroſeos diviſio in recentem ſeu incipientem, & confirmatam ſeu inveteratam.

2°. Vel ſymptomata numero pauca ſunt, nec multùm læduntur functiones, vel plurimorum deprehenditur ſymptomatum concurſus, & maxima eſt functionum læſio; unde levis ſive mitis, vel gravis ſive vehemens dici poteſt chloroſis.

3°. Quamvis chloroſis omnis, præſertim confirmata, ſolidorum ſimul & liquidorum labem, eamque variam ne-

cessariò indicet, atque adeò morbus sit in rigore compositus, nihilominus tamen in ordine ad praxim non ineptè dividi potest in simplicem, dum notata superiùs symptomata sola: compositam verò, vel ut meliùs dicam complicatam, quando illa cum aliorum morborum signis, hydropis, v. g. sκirrhi, &c. deprehenduntur.

4°. Licet producendæ chlorosi variæ faveant causæ, ut inferiùs ostendemus, duplex præcipuè humorum status in ordine ad praxim sedulò considerandus est: status scilicet in quo dissoluta, & status in quo inspissata vel coagulata est humorum massa. Hinc penes causas verè medicas duplex est chlorosis: una quæ à dissolutis, altera quæ à densatis inducitur liquidis.

CAUSÆ.

In assignanda chloroseos causa non solùm veteres sed & etiam recentiores Medici impensè sudarunt, variasque parùm stabilitis innixas conjecturis insomniarunt hypotheses; ex quibus tres, majorem nempe veri speciem præ se ferentes, juvat afferre, eo tamen fine ut examini subjiciantur. Nonnulli itaque solius uteri obstructionem pro genuina

chloroseos causa effinxerunt; alii quorumcumque viscerum obstructiones accusarunt; alii demùm partium lymphaticarum redundantiam, vel saltem globulorum purpureorum defectum pro hujus affectûs causa admittunt immediata.

Verùm ex memoratis opinionibus nullam veram esse in rigore cursim demonstrabimus.

Et 1°. quidem uterum obstructionibus affici imò & tumoribus verè skirrhosis, nullis apparentibus chloroseos indiciis docet quotidiana praxis, & demonstrat cadaverum apertio; præterea infinitis propemodum observationibus constat non feminas tantùm, sed pueros virosque hoc malo infestari. Viginti quatuor aut circiter annos natum vidimus medicinæ alumnum, per completum duodecim mensium orbem, essentialibus chloroseos symptomatibus laborantem, & methodo communi sanavimus: ex quibus manifestum est uterum obstructionibus gravissimis & inveteratis affici, quin necessariò succedat chlorosis; veramque dari chlorosim, citra uteri vitium, imò ubi nullus datur. Ergo uteri obstructiones non possunt haberi pro necessaria hujus morbi causa.

2°. Quod de uteri obstructionibus

absque chlorosi, jam dictum est, idem & quoque de cæterorum viscerum obstructionibus, intelligi debet. Omni autem skirrhosi humoris stadio afficitur hepar, v. g. lien, mezenterium; quin tamen ulla appareant chloroseos signa, & hoc secundæ opinionis falsitatem demonstrat: verum tamen est viscerum nonnullorum obstructiones, pallidos virginum colores non rarò antecedere, sæpiùs concomitari & frequenter consequi; nec tamen inde colligendum videtur viscerum obstructiones causas esse chloroseos essentiales.

3°. Posterior sententia, cæteris nimirum primo intuitu vero similior, sed æquivoca admodùm, summam meretur attentionem. Hujus itaque opinionis fautores audiamus. Flavescit, inquiunt illi, corporis habitus quia flavedine tinctus humor luxuriat, nempe bilis; dum itaque pallescit præter naturam, debet luxuriare liquidum pallido seu subalbido colore donatum, his pollet qualitatibus humor lymphaticus; inde concludunt chlorosim oriri immediatè ab adaucta humoris lymphatici copia aut saltem globulorum rubrorum defectu.

Hæc quidem opinio movet, vel suspensam quasi tenet imaginationis aciem:

ſed examini ſemel ſubdita falſa prorsùs demonſtratur. Nam non ideò flaveſcit corpus quia flavus humor ſeu bilis abundat, hepar enim per plurimas annorum ſeries ſkirrhoſum eſt ſine ictero, & icterus ſubitò ſæpe ſupervenit viperæ morſui, cujus analogiam cum bilis redundantia penitùs ignoramus; nec ideo pallidus evadit corporis habitus, quia lymphaticus abundat humor. In diabete autem, alvi fluxu ſeroſo-lymphatico, aliiſque morbis, quibus totum corpus lymphâ privatur, hoc frequentiùs accidit. Prætereà plumbeus, ſeu viridis corporis color, qui febre amatoriâ laborantibus non minùs frequens eſt quàm pallidus, à nullo humore peculiari redundante deduci poteſt; idem & quoque dicendum de pallido.

Hinc chloroſeos cauſam proximam deducimus ex mutata humorum ſuperficie, quod ratione & experientiâ comprobatur. 1°. Ratione: nam pro varia humorum ſuperficie diverſos mutari colores evidens eſt; idem enim accidit ac in collo columbæ & in cauda pavonis. Prætereà pro diverſa ſuperficiei diſpoſitione, vel diverſimodè juxta Carteſium, vel peculiares tantùm & diſtinctos reflecti radios juxta Newtonum in confeſſo eſt.

2°. Experientiâ : nam in varice & echimosi hærens sanguis varios inducit colores. Dum multifariàm mutatur illius superficies 1°. scilicet color intensè rubicundus est, quia scilicet humores adhuc vividè nimis agitantur. 2°. Evadit lividus, quia motus retardatur & præpeditur progressivus humorum circuitus. 3°. Tandem succedit niger vel ad nigrum vergens, quia motus ad sensum sufflaminatur.

Hanc verò peculiarem humorum superficiem determinare, quæ nunc viridem, plumbeum, vel pallidum colorem inducit, vetat & nondum cognita colorum præsertim secundariorum causa, & ex tali cognitione ad illustrandam Medicinæ praxim oriunda parùm notabilis utilitas. Nobis itaque sufficiat scire diversum in chlorosi conspicuum colorem mutatæ humorum superficiei immediatè deberi : mutatur autem hæc superficies, vel quia liquorum particulæ dissociantur, vel quia nimis adunantur.

Binas hasce chloroseos causas conjunctas variæ inducunt causæ procatarcticæ. Et 1°. quidem humorum dissolutioni inferendæ favent alimenta salsa, piperata, aromatica, liquorum ardentium & spirituosorum abusus, vehementiora animi

pathemata, immoderata exercitia & consimilia; quarum causarum efficaciam auget prævia corporis dispositio, cùm scilicet aridum, siccum & biliosum est temperamentum. 2°. Liquorum spissitudinem procreant alimenta acida, austera, farinosa, glutinosa, terrestria, affectus animi tristes, ut mœror & tristitia, meditationes repetitæ, ærumnæ amatoriæ, &c. Harum causarum effectus promptior est, quando temperamentum est melancholicum; contumax à vino abstinentia, & aquarum, terrenis vel sulphureis particulis, gravidarum, potus, suum pariter conferunt symbolum. Unde infantium utriusque sexûs Monspeliensium, paucis abhinc annis, frequentior chlorosis, nunc verò rarior ob mutatam nutriendi normam.

SYMPTOMATA.

Ex stabilita jam theoria, chloroseos symptomata varia facili marte poterunt explicari.

1°. Pallidus, plumbeus vel viridis cutis est color, quia circulantium humorum superficies diversimodè mutatur.

2°. Adest membrorum torpor, hæcque motibus consuetis edendis imparia redduntur, quia musculares fibræ à dis-

solutis humoribus non satis tenduntur, vel à condensata nimis humorum mole aggravantur.

3°. Vel in levibus exercitiis anhelosa est respiratio, quia torpida hactenus liquida, novâ jam musculorum actione, in pulmonaria vascula tumultuariè truduntur. Hinc & quoque cordis palpitatio, anxietas, lipothymia.

4°. Frequens est assuetorum alimentorum inappetentia, quia fibræ ventriculi vel non tenduntur, vel opprimuntur; & inde suscipiendis impressionibus ineptæ fiunt; aut demum quia fluida producendis vibrationibus destinata, vapida sunt.

5°. Œdematoso tumore afficiuntur partes variæ, quia in laxatarum fibrarum cellulis serum lymphaticum cumulatur.

6°. Efformantur obstructiones variæ, quia tartareæ magis humorum partes nimis, partium viscosarum ministerio, adunatæ in strictis simul & tortuosis vasorum meandris colliguntur.

7°. Demum absurda appetuntur: sed symptoma hoc paulò fusiùs explicandum est. Appetuntur absurda, inquiunt, nec infimæ notæ, recentiores Medici, quia vitiatur saliva, & liquidum hoc vitiatur ab eadem causa à qua pendet

chlorosis, vel à tinctura, quæ, penetrantioris salivæ beneficio, ex absurdis elicitur. At 1°. multifariàm vitiari solet liquor salivalis, quin appetantur absurda, ut patet in scorbuto, ulcere gingivarum, aliisque harumce partium morbis laborantibus. 2°. Ex vitio quidem salivæ suboriri solet assuetorum fastidium ut ptyalismo affectis accidit: sed absurda indè appeti, nec explicari, nec concipi potest. 3°. Ideò assumuntur absurda, quia appetuntur, eorumdem itaque appetitus antecedit suppositam tincturam. 4°. Absurda seu inassueta assumuntur varia, quæ salivæ actioni resistunt, & ex quibus nullam elicit tincturam ut aciculæ, ferrum, fossilia varia, &c. 5°. Feminæ chlorosi affectæ desiderant quidem vel absurda vel inassueta non ut ea assumant, sed ut contrectare & numerare valeant, ex quibus planè patet symptoma hoc non in salivæ vitium esse refundendum.

Ideò itaque appetuntur absurda, quia grata menti repræsentantur; & ideò sic repræsentantur quia errat imaginatio. Imaginationis ergo distincta læsio accusanda est, prout diversa appetuntur absurda: huic imaginationis errori inducendo favere viscerum obstructiones, humorum dissolutionem, eorumdemve spissitudinem ultrò fatemur.

Diagnosis.

In ſtabiliendis morbi cujuſvis ſignis diagnoſticis trifariàm progrediendum eſt: habenda ſcilicet generalis morbi notitia, diſtinguendus ab omni alio affectu quocum confundi poteſt, & demum ſedulò diſtinguendæ illius affectûs differentiæ & cauſæ.

1°. Itaque ut habeatur idea generalis chloroſeos, examinanda ſunt ea quæ ſuperiùs dicta ſunt dum de differentiis, cauſis, & ſymptomatibus ſermo erat.

2°. Ab icteritia flava & nigra diſtinguitur per colorem, diſtingui quoque poteſt quadantenùs à fecundationis principio per ægræ relatum; & ſi veritatem celare nitatur, ut ſæpiùs obſervavimus, laudabili utendum eſt aſtutiâ: cautè ſcilicet examinanda eſt præcedens ægræ vita, & an cum viro commercium habuerit; ſed ſi hoc detegi nequit, quæri debet num ſubitò invaſerint ſymptomata vel tacito tantùm greſſu. In priori enim caſu fecundationem: in poſteriori verò chloroſim licet ſuſpicari; bimeſtris enim & trimeſtris graviditas menſium ſuppreſſione, & tumore uteri dignoſcitur. Prudens tamen Medicus vel nulla vel innocua prorsùs præſcribit medicamina, ſi vel

minima fuerit de graviditate ſuſpicio. Diſtinguitur demùm chloroſis à cachexia (in quam tamen non rarò deſinit); in ſimplici enim chloroſi tument tantùm partes peculiares, tibia ſcilicet & palpebræ; in cachexia verò laxantur fibræ omnes, & diſſolutorum liquidorum ſubſiſtentiâ tumeſiunt. Adde quod in cachexia nullus ſit abſurdorum appetitus, quod ſymptoma velut pathognomicum eſt in febre amatoria.

3°. Tandem jam diſtinguendæ ſunt diverſæ chloroſeos ſpecies variæve differentiæ, & ſedulo connotanda eſt cauſarum diverſitas. Verùm quod differentias ſpectat, illæ ex iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt, manifeſtæ ſatis evadunt. Recens enim ab inveterata, & ſimplex à complicata chloroſi facilè diſtinguitur: ſed diverſæ cauſæ majorem merentur attentionem, utpote quòd circa earum notitiam felix verſetur curationis cardo. Chloroſis itaque quæ à diſſolutis pendet humoribus diſtingui poteſt ab ea, quæ liquorum condenſationi debetur, corporis temperamento, evacuationis menſtrualis rhythmo, & ſanguinis extracti inſpectione. 1°. Quidem feminæ gracili corporis habitu donatæ, dum chloroſi laborant, emaciatione confectæ ſunt,

ad iram vel levi de causa suscipiendam summè proclives; dissolutum liquorum textum quadantenùs indicant. 2°. Quibus dissociantur nimis humorum moleculæ & menstruationi maturæ sunt, fluunt menses decolores quidem & loturæ carnium haud multùm absimiles. 3°. Pallidis coloribus affectarum sanguis è venis eductus & in patellam emissus, multam seroso-lymphatici humoris copiam suppeditat, & superstites globuli, levi admodùm nexu uniti confusim fluitant, dum dissolutio causa est. Ex adverso quibus compacta est & densata humorum massa, fortes sunt & carnosæ, supprimitur vel imminuitur menstruorum evacuatio; & si earumdem sanguis in patellam effundatur, totus ferè in coagulum abit, plurimæque illius partes vasis lateribus quasi impactæ adhærent.

Prognosis.

Signa chloroseos prognostica variare possunt prout variant circumstantiæ plurimæ: nam 1°. inveterata recenti, complicata simplici periculosior. 2°. Ætate provectiores junioribus magis periclitantur. 3°. Quæ labe quâdam prægressâ afficiuntur femellæ, ut pectoris angustiâ, scorbuto, lue venereâ & consimilibus,

periculo certiori exponuntur quam illæ quæ ſano alioquin corpore in chloroſim ſolent incidere. 4°. Diſſoluta ſanguinis conſtitutio majus, cæteris paribus, portendit periculum quàm condenſata ſeu viſcoſa. Ratio evidens eſt : nam 1°. faciliùs longè atteruntur concreta liquida, quàm diſſociata, nexui nativo reſtituuntur. 2°. Feminæ, quarum liquida in chloroſi inſpiſſata ſunt, corpora habent plerumque carnoſa, & hinc ſine noxa iteratos purgantium medicamentorum ſtimulos pati poſſunt. Ægræ verò aridæ, bilioſæ & quarum liquida diſſoluta ſunt, purgantibus etiam levioribus haud raRò læduntur. 3°. In chloroſi à condenſatione ortum ducente, vel pauciores ſunt obſtructiones, vel ſi quæ adfuerint, iiſdem prorsùs remediis ac ipſamet ſpiſſitudo ſanantur; in illa verò chloroſi quæ diſſolutionem pro cauſa agnoſcit, ſeroſo-lymphatici humoris ſeparatione ab induratis viſcoſiſque partibus, plures neceſſariò formantur obſtructiones curatu difficiles, vel ex eo quod remedia huic operi exequendo idonea conjunctam humorum diſſolutionem adaugeant. Hoc tamen de chloroſi in genere dici poteſt, morbum ſcilicet eſſe chronicum, & contumacem ſed non periculoſum; ſi tamen

nimis negligatur, vel feminas reddit steriles, vel earum proles morbosæ & debiles futuræ sunt. Præterea si altas semel egerit radices, ſκirrhosas concretiones, contumaces febres, varias hydropum species, cachexiam aut morbos non tantùm curatu difficiles, sed & mortem sæpè laturos solet inducere.

CURATIO.

Ad curandam chlorosim sedulò attendendum est ad causas morbum necessariò producentes: ex his enim probè cognitis curatorias indicationes deducet prudens Medicus, qui ut certo procedat ordine duas sibi fingere potest virgines, feminasve quascumque, quarum una, ut suprà dictum est, chlorosi laborans temperamento donatur bilioso, cujus corpus siccum est & gracile, &c. altera verò carnosa satis & temperamentum habet pituitoso-melancholicum, &c. Inter has quidem chloroseos species nonnullæ reperiuntur quæ ex utraque participant, & nunc in unam, nunc verò in aliam magis inclinant, & hinc exercendæ sagacis Medici vigiliæ. Observandum insuper varias, si non omnes, soli mutatione, exercitii beneficio, & matrimonii præsertim ope sanatas fuisse, sine alio

remediorum apparatu. At ſi laudata auxilia vel nequeant commodè applicari, vel ſi applicata parùm proficiant, ad efficaciora, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendum remedia, juxta binos ſtatus jamjam propoſitos.

1°. Itaque chloroſim conſiderando ab humorum diſſolutione oriundam in corpore gracili & bilioſo, hæ ſunt indicationes curatoriæ 1°. ut aridæ ſeu exſiccatæ partes ſolidæ laxentur, & diſſoluta liquida appropriato fluido nexui nativo reſtituantur. 2°. Ut tacito greſſu obſtructiones tollantur. Hæc tamen medicamina, ut optatos fines feliciùs adipiſcantur, à venæ ſectione & purgatione leni inchoandum eſt.

Præſcriptâ ergo venæ ſectione unâ & alterâ vel in brachio vel in pede, ſi immineat proximè menſtruationis ſuppreſſæ vel notabiliter imminutæ tempus, purgatio ſequens aut conſimilis inſtitui poteſt.

℞. Sennæ mundatæ ʒij. Rhabarbari electi ʒj. Summitatum Abſinthii p. ij. coque in ſ. q. aquæ fontis. Colaturæ ℥v. diſſolve Mannæ optimæ ℥j. & Syrupi florum perſicorum ℥j. Fiat potio.

Dein inſtituatur diæta humectans, &

leviter aperiens; nutriatur itaque ægra juniorum animalium carne ſucco copioſo abundante; frequens ſit offarum jure refertarum uſus, copioſus ſit ptiſanæ ſequentis, vel conſimilis potus ordinarius.

℞. Radicum graminis ʒj. foliorum capillorum veneris m. ß. hordei integri m. ß. coque leviter ad hordei crepaturam in aquæ communis, in qua ferrum candens extinctum fuerit, ℔. iv. coletur & ſervetur pro potu ordinario.

Præſcriptâ ſic convenienti diætâ, præſcribenda eſſent antiquorum apozemata appropriata: ſed quia à neotericis penitùs neglecta ſunt, neſcio an bonis maliſve ægrotantium rebus; ad juſcula huic ſtatui convenientia & per decem dies ſumenda confugimus.

℞. Radicum fragariæ & acetoſæ ana ℥j. foliorum fumariæ & dentis leonis ana m. j. Adde tartari chalybeati ſolubilis ʒ. ß. coque cum fruſtulo carnis vitulinæ. Fiat juſculum manè aſſumendum.

Finito juſculorum uſu, ſi aſtricta fuerit alvus, notato ſuperiùs purgamine la-

xanda est, nisi obstet febrilis æstus, vel corporis calor, quo in casu vena iterùm secanda est, & posteà sequens enema injiciendum.

℞. Foliorum malvæ & brancæ ursinæ ana m. j. seminis lini contusi ℥ß. coque in s. q. aquæ communis. Colaturæ ℔j. Adde cassiæ recenter extractæ ℥iß. Fiat enema.

Postridiè ingrediatur ægra longè à pastu balneum aquæ tepidæ bis in die, modò vires ferant, semel tantùm, si aquarum pondus corpus nequeat sine noxa sustinere, in eodem maneat per spatium unius horæ : Aquæ calor talis sit oportet ut nec sudor eliciatur, nec externi aëris, nec prementis liquidi frigiditas percipiatur. In egressu è balneo præsertim matutino, capiat jusculum superiùs præscriptum, continuandum per totum balnei tempus.

Finito balneorum usu leviores aquæ minerales chalybeatæ epotandæ sunt ad dosim duarum aut trium librarum, manè, jejuno ventriculo, imò & pro potu ordinario, si earum sapor nullatenùs ingratus fuerit, ut observare est in nostris aquis Meynensibus, Lodovensibus, aliisque quibus lautè scatet nostra hæc Oc-

citaniæ provincia. Continuandusharumce aquarum relaxantium ſimul & deobſtruentium uſus per menſem integrum; & ſi debilitatus alioquin ventriculus earum frigus ægrè patiatur, epotari poterunt poſtquàm in mariæ balneo frigiditatem depoſuerint.

Laxatis ſic vaſis, reſeratis quadantenùs obſtructionibus & reſtitutâ humorum fluiditate, purgato leniter corpore, vaccinum lac coctum, vel aſininum crudum, per menſem aut circiter continuandum apprimè convenit; & ſi poſt illius uſum perſeverent adhuc obſtructionum indicia, fortiora quidem aperientia præſcribenda ſunt, de quibus jam agemus in ſecundo caſu.

2°. Chloroſim ſi ſpectemus à liquorum ſpiſſitudine oriundam, & in qua temperies pituitoſo-melancholica & ſat carnoſa deprehenditur, has offert curatorias indicat ones adimplendas. 1°. Nempe ut luxuriantia liquida modo paulo efficaciori, quàm in altero caſu evacuentur. 2°. Fortiora inſtituenda ſunt aperientia, ut ſpiſſitudo notabilis diſſociatione partium corrigatur, & ut liquorum in flexuoſis vaſorum minimorum meandris deliteſcens craſſamentum diſſolvatur: neque enim inflammationis aut

ardoris ullum imminet periculum. Quapropter instituì potest diæta aperiens & leviter exsiccans. Vescatur itaque ægra carnibus assatis vel elixis, vel iis quæ volatilibus scatent particulis, quales sunt turdi, perdicis, fringillæ & columbæ carnes, minùs frequens sit offarum usus, nisi ex eorumdem vel consimilium animalium carnibus conficiantur, & herbarum aperientium, apii scilicet, asparagi, nasturtii, &c. fortiori decocto requisitam acquisiverint activitatem pro potu ordinario præscribi potest sequens, vel parùm ab illa recedens ptisana, singulo cujus cyatho misceri potest vinum ad totius liquoris immutandum notabiliter colorem.

℞. Radicum anonidis, & petroselini ana ℥ij. foliorum erysimi, nasturtii & ruthæ ana m. ß. coque in aquæ fontis ℔vj. colaturæ infunde ferrum ignis torturâ candidum. Fiat ptisana.

Stabilitâ semel diætâ, unica tantùm instituenda est venæ sectio vel in brachio, si plethoræ tantùm habeatur ratio, vel in malleolo, si suppressæ restituendæ sunt menstruales purgationes, nec liquoribus turgeat uterus. At si laxus appareat cor-

poris habitus, vel notabilia fuerint œdematoſorum tumorum indicia, ab omni venæ ſectione cautè abſtinendum eſt, & ad purgationem confugiendum normâ ſequenti præſcribendam.

℞. Sennæ mundatæ ℥ij. rhei electi & tartari ſolubilis ana ʒj. coque in ſ. q. aquæ fontis; colaturæ ℥vj. diſſolve mannæ optimæ ℥i adde ſirupi de rhammo cathartico ℥j. fiat potio.

Loco ſirupi jam præſcripti ſi ſimplex ſit humorum turgeſcentia, ſine ullo œdematis indicio, jalappa, diagredium vel conſimilia præſcribenda ſunt.

Purgato ſemel corpore juſcula validè ſatis aperientia, & per quindecim dies continuanda, inſtituenda ſunt.

℞. Radicum anonidis, eryngii & rubiæ tinctorum ana ℥j. limaturæ ferri rubiginoſæ in nodulo ſuſpenſæ ʒiij. rhei contuſi in nodulo ſuſpenſi ʒß. coque per horam iß. in juſculo carnis vervecinæ aut vitulinæ: ſub finem coctionis adde foliorum pimpinellæ, fumariæ, & adianthi ana m. i. coq. per horæ quadrantem; coletur & exprimatur, ut fiat juſculum.

Aſſumpto ſemel juſculo deambulet

ægra, vel curru vehatur per unius alteriusve horæ spatium; his enim exercitiis tenuiores remediorum partes citiùs humoribus miscentur, & delitescentia liquida magis dividuntur, minùsque oppressa solida aggravantur.

Finitis jusculis, & corpore ut suprà purgato, succedat opiata aperiens & purgans, qualis est sequens.

℞. Croci martis aperientis maïali rore præparati ℈j. rhei electi pulverati ℥xij. salis tartari, absinthii, & centaurei minoris ana ℥vj. antimonii diaphoretici & æthiopis mineralis ana ℥x. jalappæ, & diagredii ana ℥viij. & cum s. q. sirupi de absinthio fiat opiata pro una dosi per quindecim dies continuanda, & superbibendo jusculum ex radicibus & foliis aperientibus cum sola carne confectum.

Laudatæ transacto opiatæ usu, vel ablatæ sunt obstructiones, vel saltem à vasorum flexuris per frustula quasi separatæ sunt, & liquorum massa quadantenùs divisa, hinc instituenda sunt vehicula aperientibus acuata, ut sunt aquæ minerales chalybeatæ, superiùs verò præscriptis paulò f rtiores, quales sunt aquæ Vallenses, Camaretenses, aliæve id genus; hæ aquæ epotari

epotari ſolent manè jejuno ventriculo ad decem aut circiter librarum pondus, continuando per ſpatium novem dierum, & diſſolvendo aut mannam aut ſal Anglicanum vel conſimile in primo, prioris, & ultimo, poſterioris diei cyatho.

His ita peractis, ut perfecta abſolvatur curatio, ſtomachum roborantia levemque diaphoreſim moventia haud incongruè videntur competere, qualia ſunt juſcula ex cancris fluviatilibus confecta, & per novem dies continuanda.

℞. Cancrorum fluviatilium in aqua calida perfectè extinctorum, & in mortario contuſorum, par. v. foliorum agrimoniæ, fumariæ, & naſturtii aquatici ana m. j. coque per horam unam & ſemiſſem cum fruſtulo carnis vervecinæ, vaſe clauſo, coletur & exprimatur.

Priuſquàm deſeramus hanc chloroſeos curandi methodum, nonnulla obſervatu digna connotanda ſunt: 1°. Quòd balnea in altero caſu toties laudata, parciùs inſtituenda ſint hyemali quàm æſtivo tempore. 2°. Eorum loco inſtituenda vel ſemicupia, vel fomenta varia, ſi connatum ſit pectoris vitium, aut internæ con-

cretiones ſkirrhoſæ deprehendantur. 3°. In regionibus calidioribus aperientia vel nullo modo, vel parciùs præſcribenda eſſe æſtate. 4°. Non unâ tantùm vice ſed repetitis temporibus renovanda eſſe remedia in utraque chloroſeos ſpecie. 5°. Remedia peculiaria nonnunquam inſtituenda eſſe, ut patet ex variorum practicorum obſervatis.

CAPUT II.

De ſuppreſſione Menſium. Morbi deſcriptio & definitio.

PEr feminarum non gravidarum pudenda ab anno duodecimo ad quinquageſimum aut circumcircà annum ſemel in menſe fluere ſolent liquida quædam plerumque rubicunda; hæcque evacuatio menſtrualis non tantùm ad depurandam ſanguinis maſſam, ſed & etiam ut uteri ſubſtantia fecundationi aptior reddatur, ſummè neceſſaria eſt, niſi conſuetos & à natura præfixos excedat limites, id eſt, ſi ſupprimatur, vel ultra modum augeatur: qui quidem caſus functiones lædere ſolent, ſymptomatum ſcilicet catervam accerſendo. Hîc autem ea juvat examini ſubjicere quæ à ſup-

preſſis ſobolescunt catameniis; quæ quidem ſymptomata numeroſa ſunt, ſummamque, pro vario morbi ſtadio, varietatem patiuntur. 1°. Itaque dum ab uteri labe proficiſcitur malum, incipiens ſuppreſſio, conſimilia, licet paulò graviòra, concomitantia habet ſigna iis, quibus divexantur feminæ, antequam erumpant menſes: deprehenduntur nempe pondus, dolor & calor in utero, partibus vicinis, & præſertim in illis, quibus uterus ligatur; ſuccedit anxietas, lumborum & capitis dolor, oculorum ſplendor, faciei rubedo, ciborum faſtidium, inappetentia, cardialgia, &c. 2°. Perſeverante morbo nunc hujus, nunc alterius corporis partis hæmorrhagia inducitur, vel febris accenditur, vel delirium exſuſcitatur, vel tuſſis & anheloſa reſpiratio ſuccedit, vel tumores nunc interni, nunc externi pateſiunt, brevi in ſκirrhoſos, œdematoſos, inflammatorios, vel purulentos abituri. 3°. Omnia in pejus ruunt, accedit enim corporis atrophia, lenta febris, cachexia, hydrops, &c.

Verùm hæc ſymptomata ſimul ſumpta, nec omni menſium ſuppreſſioni eſſentialia, nec ex illis aliqua peculiaria prorſus ſunt ſuppreſſioni in genere; quæ

propter morbum hunc juxta laudata ſigna definire non juvat. Sed ex praxi manifeſtum eſt 1°. trifariam fieri poſſe ſuppreſſionem dictæ evacuationis: dum ſcilicet ex toto aboletur; dum imminuitur tantùm; & demum dum retardatur. His omnibus, imò & quibuſlibet labefactantur ut plurimum machinæ muliebris munia. Hinc

Definiri poteſt genuina menſium ſuppreſſio abolita, imminuta, vel vitiosè retardata illa catameniorum evacuatio, quæ notabilem inducit functionum læſionem.

Morbi Differentiæ.

Eſſentiales hujus affectûs differentiæ poſſunt deduci à quintuplici capite: à ſuppreſſionis ſcilicet modo, à morbi duratione, à ſymptomatum vehementia, à cauſarum varietate, & demum à compoſitione.

1°. Quidem vel ſuppreſſio hæc totalis eſt, vel liquidi excernendi copia imminuitur tantùm, vel rarior fit hujus humeris evacuatio; hinc prior abolita, altera imminuta, & tertia ſuppreſſio retardata dici poteſt.

2°. Vel à parvo temporis ſpatio in-

vaſit affectus, vel propriis ſignis jamdudum innotuit. Hinc aut recens aut inveterata eſt ſuppreſſio.

3°. Vel hujus morbi ſymptomata mitia ſunt, vel vehementia, numeroſa vel pauca; indeque ſuppreſſio mitis, aut gravis nuncupari poteſt.

4°. Vel inducitur citata ſuppreſſio, aut quia deficiunt in corpore liquida, aut quia uterus labefactatur, aut quia alibi deferuntur appropriata fluida; inde ſpectanda eſt ſuppreſſio penes cauſas inducentes nunc à liquidorum penuria, nonnunquam ab uteri vaſorumve uterinorum vitio, & demum à contraria humorum derivatione.

5°. Vel menſtrualis tantùm purgationis ſuppreſſæ ſigna, vel hæc cum aliorum morborum ſymptomatis conjuncta ſunt; unde ſuppreſſionis catameniorum diviſio in ſimplicem & complicatam.

CAUSÆ.

Triplex plerumque cauſarum genus, ut jam notavimus, inducendæ menſium ſuppreſſioni ſolet favere; quarum quidem cauſarum actio eumdem licet ex æquo producat effectum, ad morbum tamen producendum modis planè diver-

ſis concurrit; hinc cauſæ proximioris determinatio ſat utpote impoſſibilis, inutiliſque ad exercendam praxim conſultò prætermittenda eſt, etſi nonnullis placeat amiſſa proportio liquida inter uterina & flexuoſos uteri tubulos, aliis tubulorum uterinorum imminuta capacitas, tales ideas ceu parùm ſolidas, nimiſque forſan methaphyſicas, illis lubenter relinquimus ut cauſas verè medicas aggrediamur.

Fit itaque menſium ſuppreſſio vel quia deficiunt liquida in toto corpore, vel quia alibi determinantur, vel quia in utero turgeſcentia ſibi viam occludunt, vel tandem quia ſinuoſa uteri infundibula quomodocumque coarctantur & appellenti liquido viam denegant.

1°. Namque deficiente in corpore liquido, deficiat quoque in ductibus ſecretoriis manifeſtum eſt. Deficit autem liquidum in toto corpore, vel quia deficiunt alimenta, vel quia quæ aſſumuntur nullam aut parùm ſufficientem chyli copiam ſuppeditant; talemque exhibent chyli copiam aut ratione pravæ aſſumptorum indolis, aut quia minus energicum evadit digeſtionis exercitium; citatæ cauſæ ab aliis levi operâ determinandis proficiſcuntur.

2°. Dum fluida utero addicta alibi feruntur, eorum per uterinos ſyphunculos, fluxum cohiberi neceſſum eſt; alibi autem determinatur humorum, fluxus in narium hæmorrhagia, diabetica evacuatione, alvi fluore, ſudore nimio, pertinaci ptyaliſmo, &c. Dictarum evacuationum cauſas dignoſcet facilè, qui horumce morborum naturam non ignorat.

3°. Subitò collectus & cumulatus in ſanguiferis uteri vaſculis vivificus cruor, ſtatim quoque comprimi lateraliter poſita Ruyſchii vaſcula evidens eſt, unde menſium ſuppreſſio. Sulitò autem in utero colligitur ſanguis, ſi præpoſterè altera corporis evacuatio inhibetur, ſi nimis irritentur uterina vaſcula, ut in æſtu venereo, partu difficili, violenta ſecundinarum extractione, &c.

4°. Tandem, tametſi cætera ſana ſint, ſi uteri emiſſaria, ob imminutum diametrum appellens reſpuant liquidum, catameniorum ſuppreſſionem ſubſequi planum eſt: imminuitur autem horumce tubulorum diameter, dum comprimuntur à vicinorum vaſorum tumoribus quibuſcumque, dum intùs viſcidis, glutinoſis, vel inſpiſſatis liquidis infarciuntur, dum criſpationem patiuntur, ut in motibus convulſivis, & in incauta re-

mediorum inſpiſſantium aut aſtringentium applicatione. Idem & quoque dici poteſt de lotione pedum in aqua frigida, fluentibus præſertim catameniis.

SYMPTOMATA.

Prout diverſæ ſunt hujus morbi cauſæ, diverſus ſuppreſſionis ordo, vel diverſa plurimarum corporis partium diſpoſitio, diverſa quoque futura eſt ſymptomatum ſeries.

Etenim pendens ſuppreſſio à liquorum penuria ſymptomata habet communia cum affectibus à quibus proficiſcitur. Idem dicendum de illa ſuppreſſionis ſpecie quæ ab aucto per alia colatoria humorum fluxu ſoboleſcit: imò & retentâ intra corporis vaſcula hac humorum colluvie, pro varia partium indole & diſpoſitione nunc hanc, nunc illam corporis partem labefactari ſolemne eſt. Quod diverſum ſpectat ſuppreſſionis modum, ad prognoſim potiùs quàm ad ſymptomata referendum eſſe judicamus. Examinemus itaque nonnulla ex iis ſymptomatibus, quæ ſuccedunt menſium ſuppreſſioni ab uteri vitio oriundæ.

1°. Itaque in utero deprehenditur ponderis, doloris, & caloris ſenſatio: col-

lectus enim ſanguis, ſpecificâ gravitate ponderat, motu vivido diſtrahit fibras, repetitiſque ictibus vicina vaſcula fortiter vibrat, eorumque oſcillationes validas ſuſcipit : unde uteri pondus, dolor & calor. Hæc eadem ſymptomata patiuntur partes quibus annectitur uterus.

2°. Quæ non evacuantur liquida, per varias corporis partes vagantur, circulationis legibus coercita : hæc membranas cerebri aut pericranii fibras diſtrahendo, capitis nunc internum, nunc externum inferunt dolorem; ſanguifera retinæ aut faciei vaſcula vel replendo, vel premendo, inducunt oculorum ſplendorem, faciei rubedinem, depravatum, cum ſucco ſalivali aut gaſtrico, miſcendo rorem, cibi faſtidium & inappetentiam procreant. Poſteriora hæc ſymptomata, ſicut & cardialgia, à modo quo conſpurcata liquida linguæ & ventriculi fibras replent, opprimunt, irritant, deduci poſſunt.

3°. Omnia in pejus ruunt, dilatata nimis vaſcula, tandem cedunt valido liquorum appulſui : hinc hemorrhagiæ. Vel ſi adhucdum reſiſtant, collectâ liquorum copiâ, majori impetu, ſummâque irregularitate per venoſos ductus truduntur in cordis auriculas, inde celeriter &

vitiosè dilatandas. Hanc dilatationem ſequitur conſimilis auricularum contractio, ventriculorum diaſtolem, & ejuſdem generis ſyſtolem, accerſura, unde arteriarum celer & vitioſa pulſatio, vel, quod idem eſt, febrilis æſtus; vel plurimùm agitata liquida emporii fibras vividè & irregulariter ſuccutiunt, unde delirium; vel calida adhuc fluida in extremis vaſorum colliguntur, & ponè ſequenti liquori viam occludunt, unde tumores calidi, vel ſeroſior humorum pars in membranarum cellulis quaſi irretita manet, unde tumores œdematoſi; vel intùs pertinaciter recluſa ſunt liquorum craſſamenta, hinc concretiones ſκirrhoſæ, &c.

4°. Si diù reſiſtat morbus remediis appropriatis, vel parùm convenientia incautè exhibeantur, formantur, aut internæ ſuppurationes; hinc macies & febris lenta, aut liquidorum compages diſſolvitur, & fibrarum tonus debilitatur, unde hydrops, cachexia, &c. Ex hoc morbo tanquam ex uberi radice infiniti malorum rami ſolent ſoboleſcere, ut ex obſervatis patebit.

DIAGNOSIS.

1°. Ut habeatur clara ſatis hujus morbi idea, attendendum ſedulò ad ea quæ ſuperiùs dicta ſunt in deſcriptione morbi, & ad ægræ, aſtantiumve relata. His enim plerumque morbi natura innoteſcit.

2°. Ut ab aliis quibuſcumque affectibus probè diſtinguatur, obſervandum 1°. ſuppreſſionem verè morboſam de qua hîc, diſtingui ab alia ſuppreſſionis ſpecie, quæ ratione ſui functiones non lædit: talis eſt ea, quæ ab humorum penuria proficiſcitur, & illa quæ ab exercitiis violentis natales ducit, ut viraginibus, ſaltatricibus, & ruſticis nonnunquam accidit. Hoc dignoſcitur per præſentiam vel abſentiam functionum læſionis: ultimæ autem ſpecies rarò munia labefactant, ſi excipiatur conceptio. 2°. Probè notanda eſt feminarum ætas, etenim ſi menſtrua non fluant, in variis præſertim regionibus, niſi poſt decimum quartum, imò & decimum quintum ætatis annum, non inde tamen ſuppreſſio nuncupanda eſt; idem & quoque dicendum de menſtruationis defectu poſt quinquageſimum annum: hîc enim plerumque

naturalis eſt. Ætatem verò vel ignorant feminæ, vel notam celare conantur. 3°. Paulò difficilius eſt in feminis menſtruationi maturis morboſam ſuppreſſionem diſtinguere ab ea quæ graviditatis principio familiaris eſt. Verùm internum uteri orificium apertum eſt in ſimplici & morboſa ſuppreſſione, clauſum in graviditate, habitus corporis color in ſuppreſſione defœdatur, à nativo parùm recedit in graviditate; lentè incedunt ſæpè ſymptomata in ſuppreſſione, ſubitò in graviditate; hæc augentur in dies inſtanti ſuppreſſione, ſenſim miteſcunt in graviditate. Nihilominùs tamen cautè procedendum eſt, ſi vel minima fuerit de graviditate ſuſpicio, ut alibi dictum eſt.

3°. Probè noſcenda eſt cauſarum varietas, quæ reſpectu praxeos ad dua generalia capita reduci poteſt: 1°. An humorum vitia, 2°. an ſolidorum labes morbum inducat, foveatque.

Humorum vitia varia ſunt, ſi ſcilicet deficiant, ſi rareſiant, ſi craſſiores ſint, ſi augeatur eorum moles; ſtatus ille humorum diſtinctis ſignis cognoſci poteſt. In eorum penuria marceſcit corpus, præceſſit vel jam concomitatur evacuatio alterius partis, alimentorum defectus,

prava indoles, &c. Status rarefactionis patet ex ſicco, bilioſoque temperamento, ex ſumma ad iram propenſione, &c. Craſſior ſanguinis craſis manifeſtatur ſignis nullo modo æquivocis, ut hactenus dictum eſt in chloroſeos diagnoſi.

Uterinorum verò vaſorum labem deſignant deficientia liquorum vitia, & præſertim procatarcticæ hujus affectûs cauſæ, v. g. ſi ſuccedat menſium ſuppreſſio pedum lotioni in aqua frigida, partui difficili, violentæ ſecundinarum extractioni, notis uteri tumoribus, &c. accuſanda quidem eſt ſolidorum uterinorum labes. Tandem utrùm abolita, imminuta, vel retardata ſit catameniorum ſuppreſſio reſponſis ad interrogata innoteſcet.

PROGNOSIS.

Catameniorum ſuppreſſionis prognoſis varia eſt pro varietate ſumma à circumſtantiis quamplurimis inducta.

1°. Suppreſſio illa quæ ab humorum penuria procedit, morborum, quorum comes eſt, ſequitur plerumque prognoſim. Si tamen ab alimentorum defectu pendat, gradariâ illorum exhibitione ſa-

natur: ſi verò alibi feratur menſtruorum materia, ut in diabete, ſudore immani, ptyaliſmo, &c. ſanatis iiſdem affectibus, reſtitui ſolet menſtrualis purgatio.

2°. Turgeſcentia in utero liquida ſuppreſſionem bifariam inducunt, ſi ſcilicet rareſcant, vel major eorum moles quæ craſſitiem non raro habet conjunctam, ſubitò ſanguifera uteri vaſcula repleat. Prior ſuppreſſio poſteriori, curatu plerumque facilior.

3°. Quæ proficiſcitur ſuppreſſio menſtrualis à vaſorum uterinorum labe, maximum ſæpè portendit periculum, præcipuè dum à ſkirrhoſis concretionibus, inveteratis ductuum venoſorum varicibus, aut arctis vaſorum criſpaturis diù perſeverantibus ortum habet: facilior verò eſt curatio dum recens eſt morbi cauſa.

4°. Peſſima quidem inſtituenda eſt morbi indoles, dum in lentam febrem, hydropem, aut cachexiam convertitur: nihilominùs tamen miſeræ ſorti non ſemper committendæ ſunt ægræ, etiam in allatis caſibus, ut infrà patebit.

5°. Tandem omnis quidem catameniorum ſuppreſſio nociva eſt 1°. quia ſterilitatem inducit: 2°. quia præpeditur humorum depuratio: 3°. quia re-

tentus intra feminarum corpus liquor superfluus, diversa inducit mala: cæteris tamen paribus, recens inveteratâ, simplex compositâ, & quæ ab humorum turgescentia, à solidorum labe inductâ longè minùs periculosa est. Minus quoque portendit periculum suppressio imminuta, aut retardata; majus verò abolita, ut vel tonsoribus notum est.

CURATIO.

Generalis indicatio curatoria in eo versatur, ut deficiens menstrualis purgatio restituatur; sed 1°. non eodem semper modo, nec iisdem remediorum generibus optata hæc attingitur meta: imò in aliquibus circumstantiis remedia nulla sunt tentanda, ut in virginibus & iis quæ nullum exinde percipiunt incommodum per varias annorum series. Nobis autem jam nota est mulier triginta aut circiter annos nota, cui nunquam fluxêre catamenia; sterilis quidem est, sed quoad cætera, prosperâ fruitur sanitate.

2°. Remediorum quoque vices gerat oportet diæta conveniens quando ab alimentorum penuria, aut evacuationibus per alias corporis partes, immoderatis sobolescit malum. Interim tamen

in hoc ultimo caſu ſiſtendæ, & præcavendæ ſunt tales hemorrhagiæ, & ad uterum tanquam ad nativum canalem determinandus omni operâ humorum fluxus, frictionibus ſcilicet, lavacris, balneis tepidis, cucurbitulis, & iteratis ſanguinis miſſionibus, ex pedum alterutro, inſtanti præſertim tempore, quo fluere conſueverunt menſes.

3°. Dum menſium ſuppreſſio depravatam pro cauſa agnoſcit humorum craſim, hæc appropriatis medicaminibus corrigenda eſt, & ut probè dignoſcatur, in mentem ſedulò revocandæ ſunt diverſæ chloroſeos indicationes curatoriæ, de quibus ſuprà; imò & eadem vel parùm abſimilia remedia miniſtranda ſunt.

4°. Si fiat catameniorum ſuppreſſio, quia liquoribus turgidus eſt uterus, priores præſertim venæ ſectiones in brachio ſunt celebrandæ. Unde veritas obſervationis ſecundæ *Centur.* 1. *Riverii.* Depletis tamen ſemel uteri vaſculis, ſed nondum fluentibus catameniis, votis non rarò ſuccedit venæ ſectio in talo pro medici prudentia iteranda.

5°. Nec negligenda ſunt aliqua remediorum genera à majoribus noſtris felici ſucceſſu ſæpè uſurpata, quæque mira quidem in circumſtantiis variis ſolent præ-

ſtare, & ciendis menſibus quaſi adaptata ſunt, indeque emmenagogorum nomine indigitantur, plurimiſque ſub formulis præſcribenda, ptiſanarum ſcilicet, juleporum, juſculorum, injectionum, lavacrorum, &c. Talia ſunt crocus Orientalis, duplex ariſtolochiæ ſpecies, longa nimirum & rotunda, hiſſopus, pulegium, cinnamomum, origanum, artemiſia, &c. Hoc tamen probè notandum illa remedia in humorum orgaſmo minimè præſcribenda eſſe, vel ſaltem non niſi poſt uſum refrigerantium & evacuantium. Tandem plurimæ ſoboleſcunt ſymptomatum ſtrages non raró ignotæ ex menſium ſuppreſſione ut duplici jam referendâ obſervatione manifeſtum fiet.

OBSERVATIO PRIMA.

Hujus civitatis mulier viginti quatuor, aut circiter annos nata noſtrum expoſtulavit conſilium anno 1722. Carnoſa ſatis apparuit, facies colore verè carneo tincta erat, pulſus æqualis, verbo, primo intuitu ſana prorsùs videbatur. Verùm exuto linteolo, quod colli regionem obvelabat, tumorem conſpeximus immanem, ab una ſcilicet aure, in alteram protenſum, bronchocelarum more, quas

& ſitu & magnitudine ſatis aptè repræſentabat: interim tamen hoc intercedebat diſcrimen, quòd citatus tumor, quo dicta mulier laborabat, tenſus, dolorificus, & rubicundus erat, cum notabili duritie quaſi cancroſa in diſtinctis ejus partibus, ſatis manifeſta. Venæ ſectiones, cataplaſmata ex mica panis cum croco, & levia præſcripſimus purgantia. Quæ quidem auxiliorum genera neglexit, & chirurgi cujuſdam conſilium amplectens, punctis inflammatorii tumoris duris & nigricantibus applicata, paſſa eſt medicamenta eſcharotica, neſcio quâ cauſâ vel ratione. His tamen remediis brevi temporis ſpatio, dolore immani partis affectæ correpta fuit, ingens ſui præbuit indicia febris, & tumoris moles ſolito magis expanſa, rubra & tenſa apparuit. Quæ tamen ſymptomata iterum vocati, repetitis venæ ſectionibus, julepis narcoticis, & anodynis clyſteribus feliciter ſedavimus, remanente ſemper tumore primario. Alterum poſtea vocavit chirurgum, cui non ignota forſan erat prægreſſa ægræ vita, indeque tumidam inunxit partem unguento Neapolitano non ſolùm fruſtraneo, ſed & etiam ingrato prorſus ſucceſſu; hinc enim accenſa eſt febris, adaucta doloris energia, partis

tumefactio magis notabilis, obſtinaces vigiliæ, & tandem ſuffocationis periculum proximè imminens. His, tertiò vocati ſuccurrimus ſymptomatis, morboſæ partis lavacris, ut ſuperſtitis unguenti actio tolleretur, venæ ſectione, emulſionibus, &c. quibus quidem auxiliis priori ſtatui iterùm reſtituta fuit. Unde conſtans noſtrum iteratis precibus exploravit conſilium, ut primum mali ſeminium auferetur. Nobis itaque prægreſſa ſedulò examinantibus faſſa eſt ſe per trium aut circiter prægreſſorum annorum ſpatium cum viro hujus urbis nobili illicitum habuiſſe commercium, citra tamen ullam luis venereæ ſuſpicionem. Interim tamen ex recenſito connubio fecunda evaſit & prolem peperit; hocque ut meliùs celaret, ſecundo à parturitione die apparuit publicè, & ab illo tempore, tametſi quolibet menſe purgata fuerit, catameniorum copiam ſolitâ minorem eſſe obſervavit. Hinc ſtatim conjecimus imminutam evacuationem à præcipiti nimis vaſorum uterinorum criſpatura oriundam totius mali cauſam eſſe. Sex, ſeptemve balnea præſcrivimus domeſtica, & poſtea tartarum chalybeatum, per integrum menſis ſpatium, matutinis horis aſſumendum, quibus ſimplicibus licet

remediis ex toto diſparuit tumor, reſtituta fuerunt catamenia, & ab illo ad hæc uſque tempora ſanitate perfectâ fruitur.

Observatio secunda.

Matrona nobilis triginta ſex annos nata graviditatis tempore febre laborabat tertianâ, & identidem ſanguineo per pudenda fluxu. Qualia illi præſcripta tunc fuêre remedia vel ignorabat ipſa, vel ſaltem, ſi ea retulit, in mentem non revoco. Credebant tamen medici omnia diſparitura felici parturitione: ſed ſpem fefellit eventus; nam fœtu robuſto ſatis excluſo, ſuccedebant tamen intermittentis febris paroxyſmi nullis remediis cedentes, nec conſueto poſt partum tempore, fluxêre catamenia, ſed repetitis vicibus ex toto ſuppreſſa fuêre. Interim apparuit in inguine dextro tumor inflammatorius, qui paulò poſt pure turgidus, medicorum conſilio, apertum eſt, & medicamina ſuppurationem promoventia adhibita fuêre. Interim tamen conſimilis pullulabat tumor in inguine altero, pari quoque methodo tractatus. Quid fit? Accedunt inappetentia cibi, faſtidium, febricula & corporis marcor.

Varia, ſed fruſtrà, per duodecim menſium ſpatium uſurpata fuêre remedia: ſymptomatum tamen vehementia gravior evaſit. Hinc medicis & familiæ valedixit, Monſpelium tanquam ultimum refugium petitura. Verùm dum Burdigalam appulit, longinquæ navigationis tædio defatigata, & inde renovatâ ſymptomatum tyrannide, debilis adeò evaſit, ut propoſitam attingere itineris metam impar prorſus judicata fuit. Seſe itaque notorum ſatis illius civitatis medicorum & chirurgorum curæ, commiſit; qui inter cætera quæ præſcripſerunt remedia judicantes haud dubiè fœdos tot abſceſſus, nulliſque auxiliorum ſpeciebus cedentes, à lue quadam extranea, præſertim venerea vel produci, vel foveri, mercuriales inſtituebant frictiones. Hinc copioſa ſalivatio non ſolvens, ſed irritans cauſam morbificam; ſucceſſit enim major ſymptomatum intenſio, & alia hactenus incognita deprehenſa ſunt, manifeſta ſcilicet febris hectica, uterinæ regionis tumefactio hydropica, ſuppuratorii tumores bini juxta lumbares vertebras utrinque exteriùs ſiti, & tandem totalis ad motum muſcularem edendum impotentia. Tunc ſuaſæ ſunt aquæ Baregenſes. Has adiit, lento licet, &

procellis variis agitato greſſu nobilis ægra; hæ interiùs ſumptæ & ſub balneorum forma exteriùs ſæpè applicatæ, & poſteriùs enati abſceſſus cultro aperti. Quis inde ſucceſſus? Areſcit adhuc magis corpus; indureſcit, dolet, & expanditur magis uteri circumferentia, dolores noctù, diùque ſævientes exſuſcitantur, continuæ ſunt vigiliæ, accedit febris tertiana, & alvi profluvium. De ægra ergo conclamatum fuit: nihilominùs tamen neſcio quâ aut unde depromptâ animi magnitudine in ultimo quaſi vitæ ſpiritu ſe huc traducendam ardenter rogavit. Illam itaque tandem vidimus anno 1728. verum quidem, ſed vivens ſceleton. Et prægreſſis quadantenus ponderatis, vigilias, febrem intermittentem & alvi fluxum ab horæis fructibus quibus ſolis veſcebatur, oriunda cenſuimus, atque adeò ſymptomata eſſe naturæ morbi prorſus accidentalia judicavimus. Illa itaque aggreſſi anodynis febrifugis, ſtomachicis, & leviter purgantibus remediis, ex toto intra breve temporis ſpatium ſedavimus; remanentibus tamen diris morbi prioris ſymptomatibus, quibus quidem perterriti collegarum, meliùs dicam, magiſtrorum non ita pridem, debitâque veneratione co-

lendorum, consilium fervidè expostulavimus, quo inito, matronam sæpiùs laudatam brevi necessariò interituram judicarunt unanimi voce; nec ab ea, ut veritatem fateamur, multùm recessimus opinione, sedulò scilicet scrutati symptomatum syndromen, varios nimirum abscessus, cutem & ossa exedentes (nam nulla musculorum indicia apparebant) febrem hecticam ad ultimum quasi gradum advectam, uteri hydropem, cum tumore ejusdem partis sκirrhoso, &c. Interim tamen, pro more solito, casum sæpiùs revolvendo, credidimus tandem omnia hæc, immania licet, symptomata, nullo prorsus excepto, natales duxisse à mensium suppressione, & hinc aliqua futuræ salutis spes affulsit (visâ præsertim ab omni labe penitus immuni pulmonum substantiâ.) Varia itaque præ primis præscripsimus relaxantia semicupia nempe, aquas Meinenses pro potu ordinario, lac primò ebutyratum, deinde chalybeatum; & postea illis remediis conjunximus tartarum chalybeatum, aliaque aperientia, inter quæ, meo quidem judicio, aperiens medicamen ex limatura chalybis, tartaro crudo & aqua vitæ confectum, in vino albo assumptum per binos menses, mane, je-

juno ventre, totam abſolvit curationem. Poſt trium autem menſium ab adventu ſpatium, apparuere menſtrua, & à dictis ſymptomatibus, nullo excepto, immunis fuit mulier nobilis, ex utraque facie hypogaſtrica non ſolùm ſana, ſed & formoſa admòdum hinc diſceſſit, & ad hunc uſque diem felici gaudet ſanitate.

CAPUT III.

De immoderato menſium fluxu. Morbi deſcriptio & definitio.

MEnſium ſuppreſſionem plurima ſequuntur incommoda, ut capite præcedenti probatum eſt; nec tamen pauciora manifeſtantur mala, cum eorumdem menſium evacuatio immoderata eſt: hæc autem evacuatio variis modis intendi ſolet, indeque generico immoderati fluxûs nomine comprehendi poteſt. 1°. Scilicet ſi ſolito major ſit copia. 2°. Si frequentior, quàm par eſt, fiat illius recurſus. 3°. Si ultra conſuetum tempus perſeveret, & exinde notabilis inducatur functionum læſio. Utramque

Utramque immoderati fluxûs speciem plurima sequuntur symptomata. In principio quidem corporis habitûs pallor in facie manifestus admodum, virium debilitas, animi deliquium inappetentia cibi, sitis, & spirandi difficultas, &c. Dum verò diu perseverat affectus, notabila magis evadunt dicta symptomata, & alia longè graviora accedunt, ut febricula, œdematosi tumores, hydropum species, cachexia, fluor albus, &c. Recentia quidem, vel consimilia symptomata frequenter observantur in hoc affectu. Nihilominus breviori, nec minus clara methodo illum juvat definire.

Definiri itaque potest: Illa menstrualis evacuationis species, quæ penes copiam adauctam, frequentiorem recursum, vel diuturnitatem, infert notabilem functionum læsionem.

D I F F E R E N T I Æ.

Evidenter hujus morbi differentiæ non ineptè deduci poterunt, vel à modo quo labefactantur munia, vel à morbi duratione, vel à symptomatum vehementiâ, compositione variâ; vel demum à causarum morbum foventium diversitate.

1°. Namque immoderatus mensium

fluxus symptomatum inducit seriem, vel quia intra consuetum tempus solito major humoris copia effunditur, vel quia sæpiùs recurrit evacuatio quàm exigit functionum conservatio, vel tandem quia, debitâ licet periodo recurrat fluxus, ultra tempus à naturâ concessum perseverat: hinc immoderatus mensium fluxus, vel penes adauctam liquidi excreti copiam, vel penes frequentiorem recursum, vel penes longiorem ejus durationem nuncupari potest.

2°. Vel à parum notabili temporis spatio, vel à longâ variorum mensium, & aliquando annorum serie sui præbet indicia immoderata menstrualis purgaminis evacuatio; hinc prior recens, posterior verò species inveterata meritò dicenda est.

3°. Vel propria, eaque sola hujus morbi symptomata apparent, vel cum illis aliorum affectuum symptomata sociantur: hinc immoderatus mensium, fluxus vel simplex, vel complicatus.

4°. Vel priora superiùs recensita symptomata, vel posteriora ibidem relata deprehenduntur: hinc prior levis sive mitis; posterior verò species gravis, & periculosa nuncupanda est.

5°. Licet à pluribus causis foveatur

hic morbus, ut inferiùs explicabimus, illas tamen hîc ad binas ſpecies reducere juvat, ad eas ſcilicet, quæ vel humorum labem, vel ſolidorum vitium agnoſcunt; hinc immoderatus menſium fluxus, vel ab humoribus vitiatis, vel à labefactatis ſolidis.

CAUSÆ.

Poſitâ ſemel præternaturali emiſſariorum uterinorum amplitudine, immoderatam ſubſequi menſium evacuationem neceſſum eſt; hanc igitur admittimus amplitudinem pro cauſâ verè proximâ fluxûs immoderati menſium.

A bino autem generali fonte admiſſam non veremur deducere amplitudinem, à vitio ſilicet liquidorum, vel ab ipſorum vaſorum labe.

1°. Etenim tametſi incernicula nativum conſervent ſtatum, ſi augeatur liquidorum tenuitas, præternaturaliter adaucta excretio neceſſariò futura eſt, utpote quod emiſſariorum capacitas ex ſe licet naturalis, nimis tamen ampla & hiulca fit, reſpectivè ad liquida nimis diviſa, carpta & attrita.

Atteruntur autem & in minores minoreſque moleculas dividuntur liquida

à causis quam plurimis, ab exercitiis nimirum immodicis, nimiis vigiliis, à spirituosorum liquorum potatione, ab aquarum calidarum usu præpostero, à febribus ardentibus & colliquativis, à frequenti nimis chalybeatorum & mercurialium usu, ab iterato sæpiùs coitu, & aliis id genus. Laudatæ causæ certiùs, promptiùsque lugendos producunt effectus, dum ægræ temperamentum non tantùm non resistit, sed ex adverso plurimum favet eorumdem actioni : tale est temperamentum siccum, biliosum, acre, & calidum.

2°. Etiamsi liquida debitos consistentiæ gradus obtineant retineantque, si syphunculorum uterinorum ora ampla nimis ac dilatata fuerint, immoderatus fluxus menstruorum necessariò expectandus est; par enim utrobique militat ratio. Nam si tenuia nimis liquida ductuum uterinorum naturaliter tantùm apertorum oscula necessariò pervadant, eadam liquida nativam consistentiam servantia per nimis dilatata ostiola fluere cogentur. Aperiuntur autem, vel laxantur hæc ostiola à causis quamplurimis : ab uberiori scilicet seri copiâ, à ductuum venosorum varicibus, à nativâ staminum primigeniorum debilitate, à frequentiori

ſanguinis in uteri textu ſtagnatione; hæcque ſtagnatio induci ſolet à ſpiſſitudine partium ſanguinem componentium, vel ab obſtructionibus, ſeu ſkirrhoſis concretionibus vaſorum, ſyphunculis uterinis vicinorum hæc enim ultima cauſa, immodico menſium fluxui, non raro occaſionem præbet. Si etenim ex quâcumque cauſâ, ex centum v. g. vaſis uterinis, quinquaginta, quadraginta, aut triginta, &c. obſtruantur; per liberiora reliqua vaſcula ſanguinem propelli, & majori mole, & majori impetu neceſſum eſt. Hinc amplitudo major ductuum in uteri cavum hiantium, atque adeò immodicus menſium fluxus.

Laudatæ jam cauſæ generales ab aliis facili negotio detegendis oriundæ, effectus certiùs ſolent producere, dum temperamentum melancholicum vel pituitoſum eſt.

SYMPTOMATA.

Ex variis ſymptomatibus quibus hoc morbo affectæ mulieres ſtipantur, nonnulla tantùm frequentia magis juvat explicare.

1°. Itaque pallet facies quia ſolito minor cruoris copia ſanguifera faciei vaſ-

cula irrorat, ſegniorque evadit imminuti cruoris motus. Imminuitur autem moles, motuſque ſanguinis faciei tubulos perluſtrantis quia per nimis patula uteri oſtiola tranſcolatur uberiùs vel frequentiùs, quàm par eſt.

2°. Fatiſcit corporis robur, quia fibræ muſculoſæ, & nervales non tenduntur: ſufficienter autem tendi nequeunt, quia evacuatur major vivifici humoris copia quàm chyli proventu poſſit reſarciri; hinc & quoque animi deliquium.

3°. Ex imminuta ſanguinis mole, humorum recrementitiorum maſſam imminui neceſſum eſt. Hinc defectus ſucci ſtomachalis, minorque tenſio fibrarum ventriculi; inde minùs ſenſibilis futura eſt famis ſenſatio; vel, quod idem eſt, inappetentia; hinc & quoque moleſta ſitis, à fibrarum ſcilicet lingualium, imaſque fauces repentium criſpatione, oriunda.

4°. Imminutis cruoris mole, & velocitate, rariùs & difficiliùs aperiuntur ductuum ſecretoriorum ora: hinc minor humorum depuratio, excrementitiorum liquorum generatio major; unde humorum diſſociatio, liquorum ſtaſes, vaſorum obſtructiones, febres, ſpirandi difficultates, tumores œdematoſi, hydropes, cachexia, &c.

DIAGNOSIS.

Generalem hujus morbi notitiam ſuperiùs tradidimus; diſtinguitur vel levi operâ ab aliis omnibus, cum quibus nonnulla habet ſigna communia.

Et 1°. quidem à naturali menſium fluxu, non tantùm ægrarum relatu, ſed ex eo quòd naturalis fiat cum menſtruantis levamine; morboſus verò, ſeu immodicus cum notabili functionum læſione.

2°. A gonorrhæâ diſcrepat virulentiâ: in hac enim dolent, calentque præter naturam genitales mulierum partes; nihil tale in ſimplici menſium fluxu immodico deprehenditur. Præterea conſtans ferè eſt materiæ albicantis, virideſcentis aut ſubflavæ effluvium in gonorrhæâ: interpolatum verò ſeu ſtatis temporibus recurrens humoris rubri, ſeu ad ruborem proximè vergentis profluvium in immoderatâ menſium evacuatione. Poſterioribus hiſce ſignis à fluore albo diſtingui poteſt.

3°. Diſtinguitur & quoque ab uteri vel vaginæ hæmorrhagiâ; hujus enim cauſa conjuncta plerumque externa eſt, & notabilis: immodici verò menſium

fluxûs, interna, & sæpe satis occulta. Præterea constans est cruoris fluxus in hæmorrhagiâ, interpolatus, ut supra dictum est, in immoderato mensium profluvio.

Causæ conjunctæ & verè medicæ innotescunt modo superiùs proposito dum de chloroseos diagnosi, humorum enim dissolutio, aut eorumdem inspissatio rationibus ibidem explicatis patebit.

Quod varias spectat hujus morbi species, illæ quidem inter se haud difficilè distinguntur: an scilicet incipiens, vel inveteratus, mitis vel gravis, simplex vel compositus sit.

PROGNOSIS.

Immodica omnis evacuatio sanguinea periculo plena est; vires enim frangit, apetitum tollit, sitim procreat, ad febrem lentam, hydropem, vel cachexiam disponit. Immoderatus itaque mensium fluxus in genere periculosus est, imò & aliis evacuationibus periculosior sæpe censendus est; inceptus enim semel sæpe solet recurrere, sicque adinstar guttæ sæpe cadentis, & lapidem demum cavantis, superiùs repetita contumaciora reddit mala. Qui oritur catameniorum

ﬂuxus immoderatus, ab inſitâ & permanenti ſolidorum labe, ſedari quidem poteſt, ſanari verò nequit ut plurimum. Ex adverſo ille qui ab humorum pendet vitio radicalem ſæpe admittit curationem, imò ſi ſimplex & vera plethora, ſeu liquorum redundantia, cauſa fuerit, non ſiſtendus eſt ﬂuxus, ſed naturæ potiùs committendus, vel tenuiori diætâ compeſcendus: secùs verò ratiocinandum de immoderato ﬂuxu, qui à depravatâ producitur humorum qualitate; ille enim curationem expoſtulat prophylacticam. Cæteris tamen paribus, qui ab humorum diſſolutione, difficiliùs, faciliùs verò qui ab eorumdem inſpiſſatione ſoboleſcit, ſanatur. Immoderati hujus ﬂuxûs cauſa conjuncta ſive ex vaſorum labe, vel humorum vitio depromenda difficiliùs dum inveteraſcit, faciliùs verò ſub initium curatur. Idem & quoque dicendum de compoſito, & ſimplici menſium ﬂuxu immoderato.

CURATIO.

Immoderati licet menſium ﬂuxûs indicatio generalis curativa in eo conſiſtat ut ſcilicet cohibeatur: varii tamen ſunt ſtatus, variæque circumſtantiæ in

quibus cautelâ opus eſt, imò in quibus vel nulla prorsùs concedenda ſunt remedia; vel peculiaria, & à communibus penitùs aliena veniunt adminiſtranda, ut patebit ex jam dicendis.

OBSERVATIO PRIMA.

Duas vidimus mulieres plethoricas gulæ ſimul & otio deditas, quibus fluminis ad inſtar menſtrualia per quatuor dierum ſpatium fluere ſolebant purgamina: varia ſumebant remediorum genera ut nobis retulerunt, ſed irrito ſucceſſu. Interim obſervavimus quòd, tametſi inveterata ſatis fuerit evacuatio in utraque, finitâ tamen fluxûs periodo, ambæ proſperâ fruerentur ſanitate; & hinc non vanâ ſuſpicati ſumus conjecturâ, morbi ſeminium, in plethoram ſimplicem ab alimentorum aſſumptorum copiâ oriundam, refundendum eſſe. Hinc in unâ, magis nempè repletâ, bis venam ſecari; in alterâ verò minùs ſcilicet plethoricâ, ſemel tantùm, ſuaſimus. Huic ſubjunximus, per aliquot, ante menſium eruptionem, dies, diætam tenuem, eo quidem fine, ut imminueretur major humorum proventus; & hac ſimplici licet methodo, utraque ſanata fuit.

Ejusdem ferè naturæ observationem non ita pridem relatam audivimus à collegarum uno in re practicâ versatissimo.

OBSERVATIO SECUNDA.

Nostrum expostulavit consilium matrona nobilis quadraginta & quinque, aut circiter annos nata, quæ à tribus retro annis, vigesimo quoque die immanem mensium evacuationem passa est, citra ullam notabilem functionum læsionem, excepto tumore pedum & crurum œdematoso, hydropem sanè seriùs aut citiùs minitante, aperientibus nunc, nunc verò refrigerantibus seu jusculis leviter aperientibus, & jusculis ex juniori pullo, seminibus frigidis, &c. confectis, alternatim quot annis usa fuit cum aliquali levamine, consuetis tamen temporibus, redeuntibus fluxu mensium immoderato, vagisque per artus varios doloribus. Hinc extraneam suspicabamur luem, & mariti verbis de venereâ certiores facti, tremulâ quidem manu curationem aggressi sumus, unicam præscribendo venæ sectionem ad uncias tantùm quinque: deinde domestica balnea, quorum effectus assiduè observavimus, ne scilicet eorum usu, propensio hydropica intenderetur;

hæc tamen citra noxam passa est. Tunc frictiones adhibuimus mercuriales, sed parcâ admodum manu, tertio quolibet die. Post secundam frictionem, erumpunt menses, more tamen solito; iterumque adhibitæ sunt unctiones neapolitanæ, & post quartam unctionem, fluunt catamenia, sed in statu verè naturali; dein novarum frictionum ope, evanescunt tumores œdematosi, dolores nulli recurrunt, nàtivumque ordinem, penes copiam, servant catamenia.

Ex his planè patet varias esse fluxûs immoderati menstrualis species, quarum curatio soli naturæ, vel diætæ ad summum, vel demum peculiaribus remediis committenda est.

At citra citatos aut consimiles casus, remedia sistendo fluxui paria instituenda sunt, quæque ut votis succedant, sedulò ad causas conjunctas attendendum est. Observandum scilicet utrùm humorum massa dissoluta, vel solidorum dispositio ab humorum spissitudine deprompta, depravata fuerit.

In priori enim principalis indicatio curatoria in eo versatur, ut scilicet nativa humoribus concilietur consistentia. Præscribatur itaque diæta humectans, & incrassans: vescatur ægra cremoribus

oryzæ vel hordei, offis, panatellis, ovis ſorbilibus, aliiſque conſimilibus, tempore præſertim actualis fluxûs : extra verò paroxyſmum juſcula conveniunt incraſſantia & aſtringentia quale eſt ſequens.

℞. Radicum tormentillæ & ſymphyti majoris ana ℥ij. foliorum portulacæ & lactucæ ana m. j. coquantur per horas duas cum politis vervecini ℔ij. ſub finem coctionis adde foliorum acetoſæ, m. ß. coletur & exprimatur, fiat juſculum.

Sit per duodecim dies hujus juſculi uſus. Pro potu pariter ordinario præſcribi poteſt ſequens ptiſana incraſſans, & aſtringens.

℞. Radicum burſæ paſtoris & nymphææ ana ℥iß. coq. in aquæ communis ℔v. ad quartæ partis conſumptionem, ſub finem coctionis adde roſarum rubrarum m. j. coletur, fiat ptiſana.

Huic ptiſanæ, ſi urgeat internus calor, addi poteſt nitrum purificatum, ad gratam aciditatem.

Si dentur ſigna hoſpitantis ſaburræ

in ventriculo aut inteſtinis, convenit ſequens purgatio.

℞. Rhabarbari contuſi & corticis myrobalanorum ana ʒj. ſeminis lini ʒij. coque in ſ. q. aquæ fontis, colaturæ ℥v. diſſolve mannæ optimæ ℥ij. fiat potio.

Frequens ſit oportet juleporum vel opiatarum aſtringentium uſus.

℞. Aquarum lactucæ, & portulacæ ana ℥iij. corallii rubri, oculorum cancrorum fluviatilium pulveratorum, & ſanguinis draconis ana ℈j. adde ſirupi limoniorum ℥j. fiat julepus, manè & ſerò ſumendus.

℞. Conſervæ ſymphyti majoris ʒß. croci martis aſtringentis, & aluminis rupei ana ℈ij. & cum ſ. q. ſirupi de roſis ſiccis fiat opiata bis pariter in die ſumenda.

Lac primò ebutyratum prodeſt, manè per novem dies ſumendum, dein vel lac aſininum, vel vaccinum integrum, & pro omni alimento concedendum eſt per menſes integros.

Circa generalem jam ſtabilitam hujus ſpeciei fluxûs curationem, nonnulla attentione digna connotanda ſunt. 1°. Quidem licet diæta ſuperiùs præſcripta in actuali fluxu immodico maximè competat, in fluxuum tamen interſtitiis inſufficientem eſſe declaramus. Concedenda itaque diæta fortior ex carnibus nimirum agninis, vitulinis, gallinis, vel pullis junioribus, caponibus, &c. Gelatinæ pariter conveniunt ex cornu cervi, capone pinguiori, vel vitulinis pedibus confectæ. 2°. Superiùs notata fluxûs ſpecies nullam omnino indicat per ſe purgationem : nulla itaque promovenda catharſis, niſi præſto ſint ſaburræ ſigna, vel ut diſponantur primæ viæ ad tolerandum lactis uſum. 3°. Tempore præſertim paroxyſmi veſpertinæ doſi opiatæ, aut julepi ſupra memoratorum addendum eſſe laudanum, vel liquidum, vel ſolidum, imò & in paroxyſmorum intervallis, ſi agrypnia extiterit, aſſerere non veremur. 4°. Immoderatus ille fluxus à diſſolutione etiam productus non rarò concretiones parit : hinc aperientium, ſed ex leniorum claſſi ſemper ſeligendorum neceſſitas. 5°. Morbus laudatus lactis licet uſu ſanetur, ab illo tamen lacte abſtinendum

perſeverante interno ardore, & præſertim ſi febris adfuerit, niſi hæc ex hecticarum genere ſit. 6°. aquæ v. g. Meinenſes aut conſimiles, non ſolum per novem dies, ſed & pro potu ordinario diu epotandæ ſunt.

Altera immoderati fluxûs ſpecies, ab inſpiſſatione nimirum oriunda, aliam indicat curandi methodum: tentanda nimirum humorum evacuatio revulſoria, dividenda humorum ſpiſſitudo, & occludenda ſunt nimis patula uterinorum emiſſariorum ora; hinc celebranda eſt in alterutro brachiorum venæ ſectio, & iteranda pro fluxûs vehementiâ, & liquorum turgeſcentiâ, aut ſpiſſitudine, diæta leviter deobſtruens inſtituenda eſt. Veſcatur ergo ægra carnibus aſſatis avium, columbarum, & ſimilibus; pro potu ordinario præſcribatur ptiſana ex foliis capillorum Veneris in aquâ fontanâ decoctis; huic ptiſanæ, ſub finem ejus coctionis addi poſſunt roſæ rubræ.

Purgationes mediæ, non tantùm, ut viarum primarum ſordes evacuentur, ſed & etiam ut inſpiſſatorum liquorum textus ſolvatur iteratis muſculoſarum partium contractionibus, indicantur ſubſequenti aut conſimili formulâ præſcribendæ.

℞. Sennæ mundatæ ʒij. rhei & ſalis vegetabilis ana ʒj. ſummitatum abſinthii & centaurii minoris ana p. j. coque in ſ. q. aquæ fontis; colaturæ ℥vj. diſſolve mannæ Calabrinæ ℥ij. fiat potio.

Conveniunt & juſcula gradatim aperientia, & per duodecim dies ſumenda mane, ut:

℞. Radicum eryngii, & anonidis ana ℥iß. coque cum ℔ij. carnis vervecinæ per horas quatuor; ſub finem coctionis, adde foliorum naſturtii aquatici & agrimoniæ ana m. j. coque per horæ quadrantem; coletur.

Sumat ægra in primo offæ cochleari grana decem croci martis aperientis, continuando per duodecim dierum ſpatium. Finito juſculorum uſu, purgatio iterùm inſtituenda eſt, & dein opiata ſequens per quindecim dies ſumenda.

℞. Conſervæ radicum enulæ campanæ ʒß. tartari chalybeati & rhei pulverati ana gr. xij. caſſiæ ligneæ & ſalis tartari ana gr. viij. & cum ſ. q.

ſirupi de quinque radicibus ; fiat opiata.

Paulo ante menſium eruptionem, vel actu fluentibus catameniis, ad aſtringentia confugiendum, ſic ſuccus urticæ depuratus, bis, terve, in die ſumendus, vel Helvetii arcanum ſupra præſcriptum, vel ſequens opiata.

℞. Olibani, maſtiche, & myrrhæ ana gr. x. boli Armeniæ, & ſanguinis draconis ana gr. viij. antihectici Poterii gr. xij. in pulverem redigantur, & cum ſ. q. ſirupi de roſis ſiccis fiat opiata.

Prægreſſo ſemel fluxûs tempore, aquarum mineralium chalybeatarum uſus ſummopere laudandus, non ſolum per novem dies ut invaluit conſuetudo, ſed & per menſes integros pro potu ordinario, excepto tempore, quo actualis adeſt immoderatus menſium fluxus.

Nonnulla quoque attentionem merentur in hujus ſpeciei fluxûs curatione. 1°. Dum ventriculi, aut inteſtinorum ſaburra morbum, vel producit, vel fovet, ipecacuanha maximè competit. 2°. In immani fluxu tentanda ſunt narcotica. 3°. ſi ſiccitas humorum inſpiſſationi

jungatur, humectantia aperientibus, miscenda sunt. 4°. Si à solius uteri vitio proficiscatur malum, medicamenta media, & naturæ morbi adapta maximè prosunt, licet in aliis casibus sat inutilia sint. 5°. Morbus hic chronicus est : sæpiùs itaque, & mutanda & renovanda sunt remedia.

CAPUT IV.

De fluore albo, morbi descriptio & definitio.

PEr feminarum pudenda, vel constanter, vel periodicè, vel erraticè, nunc quidem majori, nunc verò minori copiâ exstillare solet humor modò serosus, modò lymphaticus, sæpe albicans, nonnunquam viridescens aut subrufus, aliquando nigricans; menstrualia purgamina non raró antecedit, sæpe concomitatur, frequentiùs subsequitur. Hunc humorem solus non suppeditat uterus, nec sola vagina, eâ saltem lege ut unus ex dictis locis sola sit morbi sedes; nunc enim ex utero, nunc ex vaginâ, sæpe ex utrisque emanare con-

ſuevit, & dum corporis munia labefactat, fluor dicitur albus, muliebre profluvium, &c. Symptomata enim quæ laudatum fluxum concomitari ſolent, ſunt faciei pallor, extremorum frigus, virium jactura, anheloſa reſpiratio pedum crurumque, ſub veſperam præſertim recurrentes œdematoſi tumores, cordis palpitatio & animi deliquia. His, dum inveteraſcit malum, accedit hydrops, uteri præcipuè, ejuſdem partis prolapſus, corporis atrophia, lenta febris, &c.

Intra autem arctos definitionis cancellos laudata ſymptomata, alioquin non eſſentialia comprehendere nec licet, nec juvat. Definiatur itaque fluor albus: effluxus ille humoris ſeroſi vel lymphatici, puri vel mixti, nunc albicantis, nunc virideſcentis, ſubruſi, modò nigricantis, qui è vaginâ, utero, vel utraque ſede proficiſcitur conſtanter, periodicè, vel erraticè, functiones ſeu corporis munia notabiliter lædens.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Fluxus muliebris differentiæ variæ quidem ſunt, indeque à variis capitibus depromi poſſunt, nec ineptè à diversâ ſcilicet morbi ſede, à diversâ ef-

fusi liquidi quantitate, à diversâ materiæ effusæ naturâ, à morbi compositione, & demum à causarum varietate.

1°. Nempe diversa censenda est morbi sedes, diversa enim est hujus evacuationis origo; nunc etenim à solo utero, nunc à solâ vagina, sæpè ab utraque parte proficiscitur: hinc fluor albus uterinus, vaginalis, vel mixtus dici potest.

2°. Nunc uterina vel vaginalia vasa, per distinctas periodos, uberiores eructant lymphatici humoris rivulos, nunc verò modicam salis ejusdem suppeditant copiam, vel continuò, vel nullo saltem servato ordine, quâ feminarum affectarum pudenda, femora & indusia sudoris ad instar madescunt, ejusque tincturâ inficiuntur. Prior fluxûs muliebris species, notabilis admodum, & periodicus: posterior verò parum manifestus, continuus, vel erraticus dici potest.

3°. Fluorem album, vel muliebrem constituens humor, sive serosus, limpidus modò, modò inspissatus, seu verè lymphaticus est, nec eodem semper colore conspicuus est; nunc enim aquosum, nunc magis album, aliquandò viridem, nigricantem aut subrufum exhibet colorem; porrò nunc ingratum nullum, nunc fetidum prorsùs latè spargit

odorem quæ effunditur materia. Hinc exsurgunt totidem fluoris albi differentiæ penes diversam materiæ effusæ naturam.

4°. Vel solius fluoris albi symptomata qualia superiùs descripsimus, & inferiùs explicabimus; vel illa cum aliorum morborum skirrhosæ, v. g. uteri concretionis ejusdem partis ulceris, alteriusve cujuscumque morbi symptomatibus, conjuncta deprehenduntur. Hinc altera fluxûs muliebris divisio in simplicem, & compositum sive complicatum.

5°. Tandem plurimæ licet causæ huic fluori producendo faveant, omnes tamen, reduci, nec immeritò possunt, ad duas species, ad vitiatam videlicet liquidorum crasim, vel ad solidorum præsertim uterinorum labem. Ergo penes diversas causas morbi procatarcticas, alteras patitur fluor ille divisiones seu differentias à vitio scilicet liquorum, vel alteratâ vasorum conformatione repetendas. In primâ pariter hujus affectûs invasione recens, dum diù perseverat, inveteratus dici consuevit.

CAUSÆ.

Dum magis quam par est dilatantur uteri, vel vaginæ, vel utriusque simul syphunculi lymphæ continendæ & ulteriùs transmittendæ dicati, toties per

dictas partes fluere rorem lymphaticum, necesse est. Dilatantur autem lymphatici canales bifariam : dum scilicet eorum ora, ob quamcumque causam magis hiulca, vel aperta fiunt, & illa dilatatio vera est & genuina, vel dum præterfluentia lymphatica liquida ita dividuntur, ut singulæ eorum columnæ, singulæve partes integrantes replendis canalibus, vel canalium rimulis ineptæ prorsùs evadunt. Hinc licet naturalis respectivè tamen major vasorum dilatatio, quæ propterea respectiva dici potest. Omnia itaque quæ præternaturali humorum divisioni, vel veræ lymphaticorum incerniculorum amplitudini inducendæ favent, tanquam totidem causæ remotæ spectanda sunt.

Et 1°. quidem dividuntur nimis liquida. 1°. Ab exercitiis immodicis. 2°. Liquorum spirituosorum abusu. 3°. Frequenti nimis balneatione in aquis calidis. 4°. Animi passionibus violentis. 5°. Alimentis acribus, salsis, piperatis, conditis. 6°. Prægressis febribus, variolis aut morbillis. 7°. Suppressâ evacuatione menstruali, aliave quacumque naturali. 8°. Vigiliis diù protractis, aut inediâ diuturniori. Harumce causarum energiam intendit maximè, feminarum tempera-

mentum ſiccum, aridum, bilioſum.

2°. Syphunculorum lymphaticorum amplitudini inducendæ favent cauſæ quam plurimæ. 1°. Diſpoſitio nimirum œdematoſa uteri aut vaginæ. 2°. Prægreſſæ harumce partium inflammationes, aut ſkirrhoſæ concretiones, quibus neceſſariò laxantur lymphatici ductus, vel ſaltem major ſolito lymphæ copia ad eorum ora determinatur. 3°. Sanguineorum vaſorum obſtructiones, quibus uberius lymphæ vehiculum ad collateralia lymphatica vaſa frequentiùs propellitur. 4°. Præpoſterus aquæ uſus, quo & præcipua digeſtioni dicata organa debilitantur, unde chyli crudioris proventus, & aquoſior fit liquidorum maſſa, unde ductuum uterinorum laxitas, & amplitudo major. 5°. alimenta cruda, aquoſa, farinoſa, qualia ſunt herbæ, fructus, legumina; hæc enim omnia chylum producunt laxandis & dilatandis uteri colis aptum ſatis. 6°. Vita deſes, & otioſa, quâ in utero colligitur major humorum copia, imminuitur eorum evacuatio per ſudorem, aut inſenſibilem perſpirationem, & præpeditur neceſſariò eorumdem depuratio. 7°. Nota hepatis, lienis, ventriculi, renum, aliorumve abdominalium viſcerum labes, quâ

quâ depravatorum liquorum moles major ad uterum, tanquam ad corporis muliebris communem ſentinam determinari poteſt. 8°. Demùm recenſitis jam cauſis addi poſſunt partus difficiles, quibus uterina vaſcula tono defraudantur nativo.

Porrò duo ſunt obſervatione digna circa hujus morbi cauſas. 1°. Scilicet totam ferè cauſarum energiam longè magis notabilem eſſe in partes ſeroſas aut lymphaticas ſanguinis, quàm in partes ejus globoſas, ſive rubras. 2°. Huic morbo producendo favere duplicis jam recenſitæ cauſæ generalis concurſum: mutuas enim ſæpè, & liquorum vitia & ſolidorum labes ſibi præſtant manus, imò liquorum attritio ſolidorum amplitudinem, & vice versâ, vaſorum uterinorum, aut vaginalium laxitas, aut orificiorum amplitudo liquidorum vitium ſolet inferre.

SYMPTOMATA.

1°. Rubet, vel carnei coloris eſt, ſanarum feminarum facies, totuſque corporis habitus; quia & ſufficienti copiâ, & motûs velocitate requiſitâ, majora & minora, harumce partium vaſcula ſan-

guinea irrorant purpurei cruoris globuli : ſed in fluore albo ſeroſus vel lymphaticus humor, globulorum purpureorum vehiculum per pudenda evacuatur; hinc & minor globulorum moles, ſegniorque eorum motus ; hinc habitûs corporis & faciei pallor.

2°. Quo major eſt copia lymphatici humoris qui per pudenda evacuatur, eo minori copiâ, minorique impetu ferri ad extrema corporis ſanguineum laticem, neceſſum eſt : hinc extremorum frigus.

3°. Minùs replentur, & tenduntur fibræ corporis muſculares, tendineæ & nervoſæ, prout nativa humorum moles imminuitur; ergo in fluore albo partium corporis vim, & robur imminui, conſequens eſt.

4°. Quo magis ſero vel lymphâ privantur corporis liquida, eo lentior futurus eſt eorumdem motus per viſcera; hinc difficilior aëris ingreſſus, vel, quod idem eſt, anheloſa reſpiratio.

5°. Ex jam explicato ſegniori humorum motu ſequuntur eorum ſtaſes, magis quidem frequentes in partibus minùs reſiſtentibus ; quales ſunt pedes & crura, ob corporis pondus : hinc pedum & crurum tumores œdematoſi.

6°. Ex dato ſanguinis lentore, & humoris lymphatici penuria deducuntur cordis palpitatio, animi deliquia, inappetentia, corporis marcor, febricula, & cætera id genus ſymptomata huic affectui familiaria.

7°. Sanguis malè ſubactus, & à lymphatico rore ſeparatus, in parum dilatatis minimorum vaſorum meandris craſſamenta deponit varia : hinc frequentes viſcerum obſtructiones, ex his novus lentoris gradus in fluidis; hinc ſeparatio nova, diùque continuanda ſeroſi & lymphatici laticis, quo laxantur vel vaſorum minimorum rimæ, vel extrema hiulca; unde collectio ſeri, aut lymphæ, nunc in textu partium cellulari, nunc in variis cavitatibus, unde hydropis ſpecies variæ.

8°. A continuato ſeroſi aut lymphatici humoris fluxu per pudenda, & à liquorum retardata circulatione, vicinæ partes laxantur, v. g. uteri ligamenta, ejuſdem partis fundus, vel vagina; hinc uteri vel vaginæ, vel utriuſque partis prolapſus incommodus & periculoſus. Ex eodem capite deduci poteſt præpedita fecunditas.

Verùm nunc periodicè apparet fluor albus, ſæpiùs verò erraticè vel conſtan-

ter. Periodicus eſt aut dum ſupplet locum menſtruationis veræ, aut ſtatis temporibus colligitur & effunditur humor lymphaticus: erraticus verò vel conſtans arguit majores, ſed diverſos laxitatis gradus in vaſorum lymphaticorum rimis; diverſus liquidi excreti color à diverſa illius ſtagnatione, diverſa principiorum partiumve integrantium miſcela, vel demùm diverſa vaſorum collateralium dilaceratione & humorum effuſione, & combinatione proficiſcitur.

DIAGNOSIS.

Generalem fluoris albi ideam superiùs tradidimus. Ad itaque vitandas faſtidioſas prorsùs repetitiones, accedimus ſtatim ad ea ſigna, quibus ab aliis affectibus, quibuſcum confundi poteſt, diſtinguitur.

Diſtinguitur itaque 1°. à naturali & immoderato menſium fluxu penes diverſum materiæ excretæ colorem; rubicundum autem exhibet effuſus liquor in menſtruatione & nativa & immoderata: limpidum verò album, virideſcentem, nigricantem vel ſubflavum, liquor ille qui per pudenda effunditur in fluore muliebri.

2°. Ab humore ſeminali dicto, quo mulierum genitalia nonnunquam irrorantur, diſtingui poteſt & ratione ſedis, & ratione temporis, & ratione effectûs : ſeminalis autem mulierum humor effluit ſemper ex proſtatis, glandulis cowperianis, aut glandulis botryformibus : ex vaſis verò lymphaticis uteri aut vaginæ effundi ſolet fluoris albi materia. Præthereà ſeminalis liquor vel coitûs tempore, vel ſaltem dum rerum venerearum imagine vividè depaſcitur anima, eructatur ; citra verò coitum & imaginationis impetum quemcumque ſcaturit fluor albus. Grata quoque concomitatur humoris ſeminalis, vel nulla vel ingrata albi fluoris effuſionem.

3°. Longè quidem difficilius eſt fluorem album à virulenta diſtinguere gonorrhæa : iiſdem enim aut parùm abſimilibus afficiuntur ſymptomatibus feminæ alterutro affectu laborantes ; & hinc graviſſimi erroris origo, in quem magni alioquin nominis practici ſolent incidere, nunc fluorem muliebrem pro virulenta gonorrhæa, nunc verò gonorrhæam virulentam pro fluore muliebri, cum malis ægrarum rebus falsè uſurpando.

Interim tamen nonnulla ſunt ſigna,

quæ ſimul præſertim collecta binos illos affectus inter ſe veroſimiliter diſtingunt. 1°. Namque muliebris fluor qui periodice recurrit, facilè diſtinguitur à gonorrhæa virulenta, cujus fluxus plerumque conſtans eſt. 2°. Tametſi fluor albus conſtans ſit, diverſam habet ſedem à gonorrhæa virulenta, ut ſuprà innuimus dum de fluxu ſeminali. 3° In fluore albo major, in gonorrhæa verò minor effunditur humoris copia. 4°. In fluore muliebri, nec calent nec dolent genitalia præſertim in principio : ex adverſo, dolore & calore afficiuntur in gonorrhææ etiam initio. 5°. In fluore albo confirmato creſcit in dies fluxuri humoris copia : imminuitur verò in gonorrhæa virulenta. 6°. In fluore muliebri madet ſemper uteri orificium ; & dum diù durat affectus, tument pedes & palpebræ, nil tale in gonorrhæa virulenta. 7°. Ceſſat plerumque fluor albus dum fluunt catamenia, vel ſaltem notabilia ſui non præbet indicia, ex adverſo menſtruationis etiam tempore fit putridi humoris fluxus in gonorrhæa. 8°. Demum in fluore muliebri, quæ excernitur materia, in principio præſertim liquida & limpida eſt, in gonorrhæa verò inſpiſſata, flava, vel viridis, & graveolens.

4°. Juxta eadem jam assignata signa, distingui potest fluor albus ab ulcere uteri. Præterea uteri ulcus antecedunt uterinæ inflammationis signa, & concomitatur sæpè grumorum sanguinis nigricantis excretio dolorifica.

5°. Ut patefiant causæ morbi conjunctæ, & verè medicæ, hæc tria sedulò sunt consideranda, prægressi nimirùm victûs ratio, ægræ temperamentum, & excretæ materiæ natura. Si namque morbum præcesserit salsorum, piperatorum, aut liquorum ardentium, aut balneorum calidorum, &c. frequens usus; si ægræ temperamentum calidum & siccum sit; & tandem si quod excernitur fluidum pudenda pungat, ingratum spargat odorem, diversumque exhibeat colorem, morbus ab humorum attritione sobolescit. Verùm si præcesserit vel aquæ, vel leguminum, vel alimentorum farinosorum, &c. frequens abusus; & si temperamentum ægrotantis obæsum sit, tranquillum & pituitosum; si effusa materies pallida sit, nec pungat, nec ingratum ullum spargat odorem, morbum vel à lymphæ redundantia, aut spissitudine natales duxisse manifestum est. Tandem si graves præcesserint uteri gestationes vel obstructio-

nes, à deperdito vaſorum tono, vel ſκirrhoſis concretionibus morbum produci evidens eſt. Ex ſuprà dictis differentiis, patet variarum fluoris muliebris ſpecierum diagnoſis.

Prognosis.

Fluor mulierum albus incommodus, nocivus, & ſæpè periculoſus cenſendus eſt. 1°. Autem conſtans, aut frequens pudendorum mador, fluori albo eſſentialis, & induſio ac femoribus neceſſariò communicandus, ingratumque non rarò ſpargens odorem, incommodus haud dubiè ſemper dicendus eſt.

2°. Imminutionem, abolitionem, vel depravationem appetitûs, virium debilitatem, ſterilitatem, & anxietates varias inducit fluor albus; hinc nocivus judicandus eſt.

3°. Dum ab inveteratis uteri obſtructionibus, vel dilaceratis vaſorum lymphaticorum tunicis, vel diù perſeverantibus viſcerum abdominalium incommodis proficiſcitur fluor albus, cauſæ periculum minitantur. Morbus itaque à talibus ſoboleſcens fontibus periculoſus eſt. Præterea dum inveteraſcit malum, vel ſibi relinquitur, vel remedia parùm

adaptata præscribuntur, sequuntur partium affectarum prolapsus, vel uteri ulcus, vel hydrops ejusdem partis, vel cachexia, vel lenta febris, morbi quidem semper obtinaces, periculosi & non rarò morte solâ terminandi: sæpe ergo periculosus est fluor muliebris & ratione causarum morbum producentium, & ratione symptomatum morbum subsequentium.

Interim tamen variare solet juxta varias circumstantias hujus morbi prognosis: minùs enim periculosus est recens, quàm inveteratus; simplex, quàm compositus; qui ab humorum vitio, quàm qui à notabiliter labefacto solidorum tono proficiscitur. Porrò fluor ille albus, qui pro causa agnoscit humorum copiam, vel eorumdem spissitudinem, minus, cæteris paribus, portendit periculum: majus verò fluor ille, qui ab humorum præternaturali acredine natales ducit; tutiùs enim faciliùsque imminui solet roris lymphatici redundans copia, solviturque inspissatus ejusdem textus, quàm nota & præsertim inveterata illius acrimonia corrigitur; prætereà hanc ultimam causam sequuntur graviora symptomata, ulcus nimirùm uteri, marcor, febris lenta, cachexia, &c.

Tandem in junioribus alioquin benè constitutis faciliùs, difficiliùs verò in adultis curatur fluor albus : in prioribus enim vel fluunt catamenia, vel saltem eorum fluxus expectandus est, hincque non parvum levamen. Præterea illa in ætate nec siccescunt solida, nec nativo penitùs solent defraudari tono : ex adverso in ætate verè provecta vel cessat, vel brevi cessatura est uterina purgatio, crispatur, arescit, & inde minùs obsequiosa redditur solidorum uteri, aut vaginæ aut utriusque compages.

CURATIO.

Generales curatoriæ indicationes in eo videntur consistere, ut scilicet præternaturalis ille fluxus sistatur : verùm prout diversa est causarum fluxum promoventium series, sic & quoque curandi methodus necessariò varianda est. 1°. Itaque fluor albus, qui chloroseos comes est, iisdem solet cedere remediis ac chlorosis ipsa. 2°. Dum à nota alicujus visceris labe proficiscitur malum, curanda est dicta labes; hâc enim sublatâ, cessat plerumque fluor muliebris. 3°. Muliebris fluor, qui pro causa agnoscit vitam otiosam nimis, & se-

dentariam, ambulatione, equitatione, verbò convenientibus exercitiis ſanari ſolet, præſertim in principio. 4°. Qui ab ærumnis proficiſcitur amatoriis, matrimonio cedit. 5°. Dum à ſolo uteri aut vaginæ vitio proficiſcitur malum, medicamina media, & naturæ vitii adaptata competunt, quæ tamen in aliis caſibus non ſolùm inutilia, ſed etiam ſæpe nociva ſunt. 6°. Fluor muliebris ab adaucta pendens lymphæ copia, evacuantia & exſiccantia indicat.

Verùm ex cauſis ſuperiùs expoſitis patet fluorem album confirmatum frequenter pendere à confirmata fluidorum labe, labemque illam ſub duplici reſpectu conſiderandam eſſe; nam vel fluorem hunc producunt lymphatica liquida, quia nimis diviſa & acria ſunt, vel quia nimis inſpiſſata; hinc duplex exſurgit curandi methodus.

1°. Nempe fluor albus ab humorum tenuitate & acrimonia productus, auxilia indicat incraſſantia, humectantia, & refrigerantia. Præſcribatur itaque diæta fortis quidem ob morbi diuturnitatem; tenuis enim non ſufficeret, ſed refrigerans, humectans, & acrimoniam obtundens. Frequens ſit offarum uſus, competunt cremores oryzæ & hordei,

vescatur carne agninâ aut vitulinâ, vel pullis junioribus, nulla vel moderata sint corporis exercitia; vitari debent animi pathemata; nullus vel moderatus admodùm sit vini usus; sit, pro potu ordinario, ptisana vel ex pullo, vel ex foliis capillorum veneris, & paucâ oryzæ quantitate, vel ex radicibus althææ, aut symphyti majoris confecta.

Præscriptâ semel diætâ, instituenda est venæ sectio in alterutro brachiorum, hæcque iteranda est prout viget aut totius corporis, aut partium affectarum calor; ut eliminentur, si quæ sint, primarum viarum sordes, injicienda sunt enemata refrigerantia, quæ si non suffecerint, purgatio sed blanda, qualis est sequens, instituenda est.

℞. Pulpæ cassiæ recenter extractæ, & sirupi de cichorio compositi ana ℥j. Dissolve in aquæ papaveris Rheados ℥vj. Fiat potio.

Si parùm efficax fuerit dicta purgatio, illi subjungenda est senna mundata ad drachmam unam; purgato semel corpore, præparari potest jusculum sub formula sequenti per novem aut decem dies sumendum.

℞. Radicum althææ, & symphyt. majoris ana ℥ß. Foliorum agrimoniæ, & lactucæ, aut portulacæ, ana m. j. seminis lini ʒß. Coque ut artis est, cum pullo gallinaceo juniori, cujus venter infarcitur quatuor seminum frigidorum majorum ℥ß. Fiat jusculum.

Finito jusculorum usu, & purgato, si opus fuerit, ut suprà, corpore, suadendus est lactis ebutyrati usus per duodecim dies continuandus, eodemque tempore semel ad minimum in die sumenda est sequens opiata.

℞. Conservæ rosarum ʒß. corallii rubri, & oculorum cancrorum ana g̃xv. croci martis astringentis & sanguinis draconis ana ℈j. & cum s. q. sirupi de rosis siccis fiat opiata.

His peractis sumat ægra manè jejuno ventriculo, lac vaccinum, continuando per integri mensis spatium. Suadendus quoque pomeridianus balnei domestici usus per idem tempus. Horum balneorum usus, æstate præsertim renovandus, diùque continuandus est.

Convenit & quoque per totum æſtatis tempus aquarum mineralium uſus, quibus & humorum ardor compeſcitur, & eorumdem acrimonia obtunditur, & ſolidorum criſpaturæ laxantur. Prægreſſo ſemel æſtivo calore, ad ſuperiùs præſcripta remediorum genera, ſerum nimirùm lactis, lac aſininum, juſcula & opiatas, ut tutiùs abſolvatur curatio, confugiendum eſt.

2°. Altera verò fluoris albi ſpecies, à fluidorum ſcilicet lymphaticorum ſpiſſitudine oriunda, alias habet indicationes curatorias, & aliter adimplendas: huic enim ſpeciei curandæ adaptata auxilia, eo debent inſtitui fine, ut ſolvatur inſpiſſatorum humorum maſſa.

Inſtituatur itaque præ primis diæta aperiens, carnibus veſcatur ægra animalium aſſatis, vel elixis; animalia ipſa ex eorum genere ſeligenda ſunt, quæ ſalibus ſcatent volatilibus; offæ ex illorum animalium carnibus confectæ proſunt. Competunt & pariter eſculentæ herbæ ſalibus volatilibus refertæ, quales ſunt ſalvia, cæpa, eruca, naſturtium, apium, allium, &c. Suadenda ſunt corporis exercitia, qualia ſunt equitatio, tractio in rheda, ambulatio, ſaltatio, &c. Suadenda pariter, ſi fieri po-

test, constans mentis hilaritas. Pro potu ordinario sit ptisana, ex radicibus brusci aut anonidis, foliis cichorei vel agrimoniæ, vel fumariæ, vel nasturtii aquatici, confecta.

Præscriptâ sic semel diætâ, celebranda venit venæ sectio in alterutro brachiorum, imò & iteranda, ut inferiùs præscribenda medicamina, per exiguos vasorum capillarium meandros faciliùs provolvantur.

Celebratâ unâ vel alterâ venæ sectione, instituenda est purgatio non tantùm ut viarum primarum sordes evacuentur, sed & etiam ut iteratâ musculorum contractione (quam semper sollicitat purgatio) magis magisque inspissata liquida dividantur; instituatur itaque modo sequenti.

♃. Foliorum sennæ ʒij. rhei electi & tartari solubilis ana ʒj. summitatum absinthii, & centaurei minoris ana p. j. Coque in s. q. aquæ fontis colaturæ ℥vj. Dissolve mannæ Calabrinæ ℥j. Adde jalappæ pulveratæ g̃x. Fiat potio.

Purgato corpore institui potest jusculum aperiens per duodecim dies mane

ſumendum, ſub ſequenti formula præſcribendum.

℞. Radicum aſparagi, & enulæ campanæ ana ℥j. rhabarbari in nodulo ſuſpenſi ʒj. limaturæ ferri rubiginoſæ in nodulo pariter ſuſpenſæ ʒß. Coque per horam unam & ſemiſſem cum fruſtulo carnis vervecinæ; dein adde foliorum fumariæ & naſturtii ana m. j. coque per horæ dimidium; coletur, fiat juſculum.

Finito juſculorum uſu, & purgato, ut ſuprà dictum, iterùm corpore, aperiens opiata inſtituenda eſt, per quindecim dies ſumenda, ordine ſequenti præſcribenda.

℞. Croci martis aperientis maiali rore præparati ℈j. ſalis tamariſci, abſinthii, & centaurii minoris ana gr. x. jalappæ & diagridii ana gr. vj. & cum ſ. q. ſirupi de abſinthio fiat opiata pro una doſi.

Hujus opiatæ uſui ſuccedat purgatio ſuperiùs laudata. Dein ſæviente æſtatis calore, uſus aquarum mineralium chalybeatarum maximè ſuadendus eſt: pur-

gationem tamen necessariò instituendam esse, post dictarum aquarum usum, non veremur asserere. Insuper aquæ minerales Chalybeatæ huic operi exsequendo aptæ, & quæ in hac reperiuntur provincia sunt aquæ Valenses, *ou de Vals*, Camarenses, *ou de Camaretz*. Autumnali & vernali tempore conveniunt lacticinia, qualia superiùs præscripsimus, dum de alterius fluoris speciei curatione sermo erat. Tandem hyemali tempore mane jejuno ventriculo prodest vinum medicatum ad uncias quatuor sumendum, & continuandum per mensem unum aut alterum; parari potest ex vino albo & croco martis aperiente, vel lapide styptico dicto.

Verùm antequam finem imponamus curationi, nonnulla animadversione digna censemus. Et 1°. quidem fluor albus confirmatus morbus est chronicus: remedia itaque superiùs præscripta, sæpe præscribenda & renovanda sunt. 2°. Licet hactenùs stabilitum sit fluorem hunc pendere, vel ab acrimonia, vel spissitudine, non rarò tamen accidit, ut utraque causa morbo inducendo mutuas præstet manus: quapropter in tali casu bina remediorum præscriptorum genera simul conjungere, & sic exhibere

prudentis medici officium eſt. 3°. Tandem dum ſpiſſitudini humorum conſociatur excedens eorum copia, ſudorifica & diuretica ſunt aperientibus ſuprà præſcriptis maritanda.

CAPUT V.

De Hydrope uteri. Morbi deſcriptio & definitio.

MUlieres, quibus, citra graviditatis indicia, tumet in omnem quaſi dimenſionem & molleſcit uterus, ſeu intus utero reſpondens regio hypogaſtrica, imminuuntur & flacceſcunt mammæ, humore lacteo ſpoliatæ, pallet præter naturam facies; dolet & pondere aggravatur uterina regio, tument & molleſcunt non raro & pudendorum labra, & pedes, & femora, ſupprimitur aſſueta menſtrualis purgatio; reſpiratio anheloſa fit, depravatur vel imminuitur appetitus aſſuetorum alimentorum, intenditur ſitis, & tandem quarum uterus, ab uno latere in aliud latus, reciprocè compreſſus, mobilis aquæ, vel lymphatici laticis ſonum edere

consuescit, illæ, inquam, mulieres hydrope uteri laborare meritò dicuntur.

Verùm quandoquidem difficile, vel saltem tædiosum admodùm foret singula jam indigitata symptomata, quæque semper essentialia non sunt, strictis definitionum cancellis complecti, hinc breviori methodo progrediendum esse arbitramur.

Constat itaque in omni uteri hydrope hæc tria essentialiter reperiri. 1°. Nempe reperitur aquosi vel lymphatici, vel utriusque humoris collectio præternaturalis. 2°. Liquor ille vel in ampla uteri cavitate, vel in variis vesiculis membranarum uterum constituentium, lateribus enascentibus, colligi consuevit. 3°. A laudati humoris collectione, vel totius corporis, vel ad minimum partis affectæ munia, necessariò labefactantur.

Quapropter definiatur hydrops uteri præternaturalis serosi, lymphatici, vel utriusque humoris aut in uteri cavo, aut in membranarum vesiculis collectio, totius corporis, aut saltem affectæ partis functiones necessariò lædens.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Plurimæ quidem sunt hujus hydropis

differentiæ : interim tamen brevitatis causa illas ad distincta quædam capita juvat reducere ; præcipuæ enim illius differentiæ deduci possunt, vel à diversa liquoris collecti natura, vel à diversa liquoris collecti sede, vel à morbi diuturnitate, ejusdem compositione, vel demùm à causarum diversitate.

1°. Itaque in utero collectus liquor, semel effusus, iisdem semper non pollet proprietatibus : nunc enim limpidus est & mobilis admodùm, nunc verò subalbidus & viscidus est, nunc tandem partim limpidus & mobilis, partim tenax, subalbidus, aut diversi coloris. Præterea liquor ille hydropem efformans igni expositus, modò totus evaporatur, modò in coagulum abit, modò demùm partim evaporatur, partim concrescit : hinc ratione humoris collecti naturæ, hydrops serosus, aut lymphaticus, aut mixtus dici potest.

2°. Vel liquor ille in ipsa uteri cavitate colligitur, vel in diversis membranarum folliculis retinetur. Quòd autem colligatur laudatus humor in uteri cavo testantur gravissimi auctores, *Rhasis* nempe, *Vesalius*, *Fabricius*, *Hildanus*, aliique quamplurimi, inter quos audiendus est *Fernelius* qui curiosam

refert hiſtoriam de muliere quadam hydrope uteri laborante, quæ quoties imminebat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profundebat, pelveſque ſex vel octo complebat aquâ citrinâ ferventiſſimâ; dum uterus totus ſubſideret, mox deinde ex præſcripto naturæ menſes ſequebantur, collecta proximo menſe par colluvies ſtato deinde tempore profluebat, & ſequebantur menſes.

Nec fidelibus illorum auctorum obſervatis refragatur ratio; orificium enim uteri occludi poteſt multifariàm, humore nimirum viſcoſo, tumore ſκirrhoſo, œdematoſo; &c. nec video quid vetat quominus uteri orificium occludatur à gradaria collectione limpidi & præſertim viſcidi humoris cavitatem uteri diſtendentis, eâdem ratione, quâ creſcens in utero, uterique latera ſenſim dilatans fetus, orificium conſtringit, conſtrictumque retinet per totum geſtationis tempus; nullus eſt, quod ſciam, qui de liquorum ſeroſorum aut lymphaticorum collectione in veſiculis, aut membranarum lamellis dubitaret. Prior itaque hydropis ſpecies, verus & genuinus: poſterior verò tunicatus vel folliculatus hydrops dici poteſt, &

hoc ob diverſam morbi ſedem.

3°. Vel à brevi ſeu à parum notabili temporis ſpatio malum hoc ſuî præbuit indicia, vel jam dudum dignoſcenda exhibuit propria ſymptomata : hinc exſurgit altera hydropis uteri diviſio in recentem ſcilicet & inveteratum.

4°. Vel ſolius hydropis uteri ſymptomata, qualia ſuperiùs notavimus, vel illa cum aliorum morborum ſignis deprehenduntur ; hinc ejuſdem hydropis diviſio in ſimplicem & compoſitum ſive complicatum.

5°. Quamvis aquoſam vel lymphaticam hanc uteri colluviem producant plurimæ cauſæ inferiùs examinandæ, illas tamen omnes in ordine ad praxim ad binas tantùm, quarum una vel altera, ſimplici præſertim producendo hydropi, frequentiùs ſolet favere, juvat reducere, ad adauctam nimirum humorum ſeroſorum, aut lymphaticorum copiam in tota ſanguinis maſſa, & ad particularem eorumdem liquorum redundantiam in utero à prædicto humorum circuitu, aut viſciditate productam. Hinc penes cauſas conjunctas, ſive verè medicas, alius dici poteſt hydrops à plethora univerſali, alius verò à particulari oriundus. Silentio prætermitti-

mus alias hujus morbi differentias, & divisiones in idiopathicum & symptomaticum, &c. illæ enim omnibus parum licet in medicina versatis notæ sunt.

CAUSÆ.

Datâ semel pororum, aut peculiarium, si quæ sint, vasorum, uteri aut folliculorum lymphaticorum cavum inhiantium amplitudine, aut dilatatione, datâque ibidem adauctâ serosi, aut lymphatici, aut utriusque simul liquoris copiâ, toties dari uteri hydropem necessum est. Causa itaque proxima & immediata hydropis uteri, est stagnans seri aut lymphæ, aut utriusque simul colluvies, cum præternaturali amplitudine vasorum, aut pororum vel uteri cavo, vel ejusdem membranarum folliculis prospicientium.

Hanc verò causam fovet vel redundans in toto corpore, vel in utero saltem serosorum aut lymphaticorum humorum copia. Hæc autem redundans indigitatorum liquorum copia, aut in toto corpore, aut in utero vel vera est, vel respectiva. Vera quidem, dum actu luxuriant hæc liquida: respectiva, dum serosa vel lymphatica colluvies à cæteris

humorum principiis, partibusve integrantibus quomodocumque dissociatur.

1°. Itaque luxuriant in toto corpore hæc liquida, dum retinentur præter naturam evacuationes, dum adaugetur chyli serosioris, aut crudioris copia, dum præternaturalis est liquorum aquosorum, aut aquæ ipsiusmet usus; & hinc est quòd superveniat uteri hydrops retentioni menstrualis purgationis, urinæ, perspirationis, hemorrhoidum fluxûs, &c. Supervenit & quoque mulieribus potui & gulæ nimis indulgentibus, aquis acidulis, fontanis, vel fluviatilibus abutentibus; supervenit tandem uteri hydrops, asciti, anasarcæ, leucophlegmatiæ, &c.

2°. Dissociatur & separatur serosa aut lymphatica aut utraque colluvies, à reliquis humorum principiis, si oleosæ partes solvantur, si inspissentur, vel si liquida ipsamet circulationis nativæ motum amittant. 1°. Namque oleosa liquida carpuntur particulis purulentis, repetitis agitationibus nimiis, evacuationibus immoderatis. Et hæc est ratio cur uteri hydrops superveniat phthisi pulmonari, purulento empyemati, uteri abscessui, ulceri, &c. Supervenit quoque febribus ardentibus, málignis, intermitttentibus

termittentibus, exercitiis immoderatis: ſupervenit tandem hemorrhagiis alvinis, uterinis & cacochymiæ, &c. 2°. Inſpiſſantur ramoſæ fluidorum partes à chylo viſcido & glutinoſo, ab acidis corporibus, vel ad acidum vergentibus; hinc uteri hydrops ſupervenit uſui nimis frequenti alimentorum viſcidorum, farinoſorum, &c. ſupervenit immodico fructuum vel liquorum acidorum aut levi de cauſa aceſcentium. 3°. Retardatur circulatorius humorum motus, ſi corporibus externis communicetur, vel ſi vaſorum diameter obturetur: hincque hydrops uteri à balneis frigidis, à liquorum frigidorum abuſu, & tandem à variis viſcerum obſtructionibus; hæcque ultima cauſa cæteris longè frequentior eſt.

Verùm cùm nulla ſit ratio cur à cauſis jam memoratis producatur uteri potiùs hydrops, quàm aliarum partium, examinanda veniunt peculiaria illius partis vitia, à quibus proficiſci ſolet ſeroſi aut lymphatici liquoris collectio: & ſanè uteri ſitus, ejus liquidorum & ſolidorum labes vel ſimul vel ſeorſim huic affectui producendo favere ſolent. 1°. Namque pars alioquin cava, quæ in infima corporis regione ſita eſt, quæ-

que in mulieribus ſentinæ vices gerit, qualis eſt uterus, colligendis humoribus, primo intuitù apta ſatis apparet; imo quidem longè frequentior eſſet dicta uteri colluvies ob datam cauſam; niſi quòd obſtet non facili negotio obturandum uteri orificium.

2°. Oleoſæ liquorum uterum irrorantium partes vitiari poſſunt multifariàm, attritione, v. g. quam producunt uteri abſceſſus, ulcus, inflammatio, partus difficiles, injectiones acres, fluor albus, &c. inſpiſſatione, quam producunt auræ ſeminalis debilitata activitas, fomentationes & injectiones frigidæ, balnea ſeu ſemicupia frigida, &c. tandem motûs imminutione, quam producunt neceſſariò jam referenda ſolidorum vitia.

3°. Vitiantur uterina vaſa, dum laxantur, dum obſtruuntur, dum comprimuntur, dum tenduntur. 1°. Laxantur autem vel connato ſtaminum vitio, vel frequenti ſeri, aut lymphæ affluxu: hinc hydrops uteri hæreditarius, hydrops uteri prolapſum concomitans, &c. 2°. Obſtruuntur uterina vaſcula, quia craſſæ humorum moleculæ canales infarciunt, vel quia vaſa ipſamet areſcunt, vel quia tumores varii internam vaſo-

rum cavitatem obſident; hinc uteri hydrops chronicos quoſcumque illius partis affectus frequenter ſubſequens. 3°. Comprimuntur uteri vaſcula à tumoribus vaſa vicina occupantibus; hinc uteri hydrops poſt tumores illius partis inflammatorios, ſκirrhoſos, œdematoſos, &c. 4°. Demum tenduntur vaſcula uteri tunicas efformantia agitationibus uteri immoderatis, ejuſdem partis criſpaturis, & convulſionibus, & corporibus quibuſcumque uteri cavitatem replentibus: hinc laborioſos partus, hyſtericos inſultus, graviditatem, & molam non raro vel concomitatur, vel immediatè ſubſequitur uteri hydrops.

SYMPTOMATA.

Perplurima ſunt hydropis uteri ſymptomata; illa tamen quæ frequentiora ſunt, explicationi ſubjicere viſum eſt.

1°. Itaque colligi nequit humoris ſeroſi, aut lymphatici, aut utriuſque exſuperans copia in utero, quin viſcus illud dilatetur, expandatur, majuſque ſpatium occupet juxta omnem loci differentiam: præterea humores illi corporibus quibuſcumque tangentibus facilè cedunt; hinc uteri, vel regionis hypo-

gastricæ tumor æqualis & mollis.

2°. Colligi nequit humor serosus aut lymphaticus in utero, quin ibidem vasa, vel saltem vasorum pori dilatentur; hinc facilior humorum fluxus ad dictas partes; hinc eorumdem revulsio à partibus superioribus: revelli autem nequeunt fluida serosa aut lymphatica à partibus corporis superioribus, quin ibidem deficiant. Hinc imminutæ, sive depressæ, laxæ, flaccidæ, & lacteo humore orbatæ feminarum uteri hydrope laborantium mammæ.

3°. Imminutam humoris serosi aut lymphatici copiam in superioribus corporis partibus sequitur necessariò globulorum sanguineorum faciei vasa irrorantium imminuta copia, & motûs tarditas: hinc vividi coloris privatio, aut imminutio notabilis, atque adeo color pallidus, aut lividus, &c. faciei.

4°. Collectus vel in uteri cavo vel in folliculis variis serosus aut lymphaticus latex, deorsum necessariò premit partes continentes, vicinasque distrahit: hinc sensatio ponderis sensationi doloris conjuncta, vel, quod idem est, dolor gravativus uteri.

5°. Ex uberiori copia humoris serosi aut lymphatici in utero præter naturam

collecti, exsiccata & evanida fiunt cætera totius massæ fluida: hinc imminuta eorumdem actio in solida inferiora præsertim corporis extrema, superincumbentis corporis pondere compressa magis, efformantia; adde quòd aquâ, aut lymphâ ultra modum tumens uterus, lymphatica aut venosa sanguinis vasa vicina, necessariò comprimat: & hinc pudendorum, pedum, femorum, &c. tumores œdematosi.

6°. In utero fit menstrualis sanguinei humoris collectio, quia complicata uteri vasa collateralia obediunt, sese dilatando, advenienti sanguinis rivo: verùm quâ proportione colligitur, vel in propria uteri substantia, vel in ejusdem cavitate serosa vel lymphatica colluvies, parùm absimili proportione imminuitur, & vasorum sanguineorum ampliatio, indeque sanguinei liquoris congestio imminuta; ergo in uteri hydrope nullam vel parùm notabilem esse menstrualem evacuationem necessum est.

7°. Dum ultra modum tumet uterus à seri, vel lymphæ congestione, nec dilatari, ut par est, potest thorax, nec contrahi diaphragma: thoracis tamen dilatatio, & septi medii contractio, absolutè necessaria est ad liberè exer-

cendum reſpirationis negotium; non mirum itaque ſi in uteri hydrope confirmato, anhelosè fiat reſpiratio.

8°. Separato à reliqua humorum maſſa, ſeroſo, aut lymphatico latice, circulantia liquida areſcunt; exſiccantur itaque & debilitantur nervoſæ corporis fibræ: hinc, v. g. irregularis, vel imminutus fibrillarum nervoſarum ventriculi motus, atque adeò vel depravata, vel imminuta appetentia.

9°. Ob cauſas jam allatas arida, fibrillarum nervoſarum linguæ, & imarum faucium interna filamenta ab exſiccatis & ſalſuginoſis cruoris particulis ſtimulantur; hinc ſtimulus in dies augetur, auctâ nimirum liquorum in utero collectorum copiâ: hinc morboſa ſitis magis, magiſque in dies intenſa.

10°. Tandem collecta in utero liquida manibus reciprocè tangentibus ſtatim cedunt, noviſque motûs determinationibus, nunc ab uno, nunc ab altero truduntur latere; nec ſic trudi poſſunt, & cum aliquo impetu moveri, quin illis liquoribus proprius percipiatur ſonus.

DIAGNOSIS.

Generalis hujus morbi idea colligi

poteſt ex iis quæ ſuprà dicta ſunt in deſcriptione. Hinc examinanda ſunt ſigna, quorum ope hydrops uteri, ab aliis quibuſcumque affectibus, diſtinguatur, quos tamen juxta nonnulla ſymptomata ſolet æmulari; diſtinguendæ ſunt diverſæ morbi ſpecies, & tandem cauſarum morbum foventium, quantùm fieri poteſt, diverſitas enucleanda eſt.

1°. Itaque tumor licet uteri ſymptoma ſit eſſentiale hydropis illius partis, varii tamen ſunt ſtatus in quibus deprehenditur uteri tumefactio citra ullam ſeri aut lymphæ colluviem. Tumet totum abdomen in aſcite; tumet uterus, dum calidis aut frigidis tumoribus afficitur; tumet pars illa, dum ab aere diſtenditur; tumet in graviditate, tumet & quoque uterus, dum in ejus cavo ſedem eligit mola; ab illis enim omnibus diſtingui poteſt hydrops. Nam 1°. uteri hydrops in ſola regione hypogaſtrica apparet manifeſto illius partis tumore; hydrops verò abdominis totum occupat abdomen. Præterea in aſcite citiùs deprehenduntur faciei pallor, corporis marcor, & graviora ſunt ſymptomata: in hydrope verò uteri ſeriùs conſpicua fiunt, raròque æquè gravia ſymptomata. 2°. In tumoribus uteri calidis

adeſt dolor acutus, calor deurens, & febris acuta; nullus calor præternaturalis, in uteri hydrope, febris nulla, ſaltem acuta; dolor quidem adeſt, ſed ſemper gravativus eſt, & plerumque obtuſus. 3°. In tumoribus uteri frigidis, dura & renitens eſt pars affecta, obſequioſa & mollis in hydrope. 4°. Dum aere inflatur uterus, identidem erumpunt flatus per vaginam, compreſſa pars ſonum edit ad inſtar tympani, detumeſcit quoque in locis frigidis, & in calidis intumeſcit; nil tale in hydrope uteri. 5°. Tumet quidem uterus in graviditate: ſed tumor ille acuminatus eſt, æqualis verò & quaſi complanatus in hydrope. Tument & lacte replentur mammæ in graviditate: detumeſcunt & flacceſcunt in hydrope uteri. Quæ in graviditatis principio apparent ſymptomata, ut faciei pallor, virium jactura, corporis marcor, cibi inappetentia, &c. ſenſim miteſcunt & evaneſcunt: in dies verò ingraveſcunt in hydrope uteri. Elapſo tertio vel quarto geſtationis menſe, fœtûs jam viventis motus percipitur: aquarum verò tantùm motus conſpicuus uteri tumor, magiſque acuminatus quàm in hydrope, imò & faciei pallor, marcor corporis, & cætera ſymptomata mi-

nùs in mola, magis verò notabilia in hydrope uteri.

2°. Ut innotescant diversæ hydropis uteri species, breviter percurrenda sunt ea, quæ superiùs diximus de morbi differentiis. Et 1°. quidem ut dignoscatur collecti humoris natura, ille semel è corpore separatus, vel seri, vel lymphæ, vel utriusque simul proprietates exhibet, ut ibidem dictum est. 2° Utrum in uteri cavo, vel in membranarum folliculis colligatur serosus aut lymphaticus humor non nisi cadaveris apertione liquido constat. 3°. An recens vel inveteratus sit uteri hydrops per se patet. 4°. Vel huic hydropi peculiaria tantùm symptomata apparent, vel eadem concomitantur aliorum morborum signa; hinc facilis simplicis aut compositi hydropis notitia.

3°. Quod spectat causas uteri hydropem producentes, illæ conspicuæ satis sunt. Nam 1°. si præcesserit temperamentum pituitosum, vel concomitetur hydrops universalis, morbi causa erit universalis plethora, seu redundans serosi, lymphatici, aut utriusque copia in toto corpore. 2°. Si verò solius uteri vitia præcesserint, & si solus jam afficiatur uterus, pro causa accusanda est

ipſius partis plethora, quam producunt obſtructiones, liquorum ſpiſſitudo, vel eorumdem attritio, &c.

PROGNOSIS.

Omnis uteri hydrops periculoſus eſt; nam vel graviditatem concomitatur, vel abſque ullis graviditatis ſignis deprehenditur. In priori caſu fœtus pabulo ſpoliatus, aut aquarum columnis oppreſſus miſerè perit, & corrumpitur; hinc non rarò ſummum maternæ vitæ periculum. In caſu poſteriori, altero, frequentiori, totum ſicceſcit corpus, & uteri functiones neceſſariò labefactantur: hinc ſegniora corporis munia, ſterilitas, ſuppreſſio menſium, &c. ex quibus tanquam ex uberrimo fonte infinita penè ſcaturiunt mala. Interim tamen ſigna hujus morbi prognoſtica, ob diverſas circumſtantias ſolent variare. Nam,

1°. Uteri hydrops ab extravaſione ſeri, aut lymphæ in illius partis cavitate productus minus periculoſus eſt illo, qui in membranarum folliculis ſedem eligit; prior enim vel per apertum, vel non difficili ſemper operâ aperiendum uteri orificium rejicitur, minuſque collectus liquor membranas inficit: ex ad-

verſo, in veſiculis contentus humor, viam nullam habet regiam, per quam poſſit effundi, membranaſque foliatim quaſi expanſas, citiùs faciliùſque corrumpit.

2°. Juxta diverſam collecti liquoris naturam, variat quoque morbi prognoſis; liquor enim limpidus & inſulſus minus longè, majus verò portendit periculum liquor ſanioſus, mordax, ſalſuginoſus.

3°. Dum à generali humorum, aut ſolidorum, aut utrorumque vitio proficiſcitur malum, magis periculoſum eſt, quàm cùm ſolus afficitur uterus.

4°. Hæc etiam ultima hydropis ſpecies faciliùs curatur, dum liquida uterum irrorantia vitiantur; difficiliùs, dum ſtabilis ſolidorum labes morbum producit; difficillimè, dum vitiantur liquida & labefactantur uteri ſolida.

5°. Leves vaſorum obſtructiones ſæpe tolluntur; ſkirrhoſæ concretiones difficulter admodum; uteri tumores cancroſi hydropem non rarò producentes frequenter concomitantes, aut ſubſequentes nullâ arte ſanantur.

6°. In junioribus benè conſtitutis uteri hydrops faciliùs ſanatur, difficiliùs in ætate ſenili, aut dum corporis fabrica malè afficitur.

8°. Uteri hydrops ſimplex non æquè difficilè ac hydrops uteri compoſitus, aut complicatus curationem admittit.

9°. Tandem illa hydropis uteri ſpecies, quæ liquorum ſpiſſitudinem pro cauſa agnoſcit, faciliùs; difficiliùs verò curatur illa, quæ ab humorum tenuitate, attritione, aut diviſione proficiſcitur.

CURATIO.

Uteri hydrops ſive à generali vel particulari plethora immediatè proficiſcatur, has habet ſemper indicationes adimplendas: è corpore nimirum expellendus eſt, per renales ductus, uterina colatoria, aut inteſtinorum glandulas, collectus humor, novuſque proventus ſeroſi, lymphatici, aut utriuſque liquoris, præcavendus, reſervando ſcilicet obſtructiones, humorum circuitum retardantes, individuos ſemper hujus morbi comites.

1°. Itaque inſtituatur diæta exſiccans & deobſtruens; veſcatur ægra carnibus aſſatis, aut elixis, juſculis ex herbis aperientibus compoſitis, pane bis cocto, &c. parcior ſit cœna, parcior potus; ſed ſi ſitis urgeat, crudelis ſanè foret omnimoda à liquidis abſtinentia; ex illa ſe-

queretur, in plerisque casibus febris, & interaneorum calor deurens, symptomata inflammationes gangrænodeas minitantia. Quaprōpter pro potu ordinario instituenda est ptisana sequens aut consimilis.

℞. Radicum anonidis, eryngii & apii ana ℥j. coque in ℔v. aquæ fontanæ ad quartæ partis consumptionem; sub finem coctionis adde granorum, aut seminum paliuri ℥ß. cola, & exprime; fiat ptisana.

Stabilitâ semel diæta, alvus laxanda est modo sequenti.

℞. Foliorum orientalium ʒij. rhei electi, & tartari solubilis ana ʒj. summitatum absinthii minoris p. ij. coque in s. q. aquæ fontanæ, colaturæ ℥v. dissolve mannæ Calabrinæ ℥j. jalappæ pulveratæ g̃x. fiat potio.

Sequenti proximè à catharsi die parari potest jusculum quolibet mane sumendum jejuno ventriculo, & continuandum per quindecim dies sub sequenti formula.

℞. Carnis vitulinæ in taleolas sectæ, vel vervecinæ è collo dissectæ ℔j. foliorum apii hortensis & chærefolii ana m. j. rhei pulverati, & millepedum pulveratorum ana ʒß. salis admirabilis glauberiani g̃x. carnes & folia s. s. s. posita, conspergantur citatis remediis in pulverem redactis. Ponantur omnia in olla fictili benè clausa; coque in balneo mariæ per quinque horas; coletur & exprimatur; fiat jusculum.

Finito horum jusculorum usu, excitanda est iterum catharsis, modo superiùs præscripto; & postea elapsis scilicet duobus tribusve diebus, opiata purgans & aperiens, per duodecim dies continuanda; præscribenda est sub sequenti formula.

℞. Croci martis aperientis maiali rore præparati ℈j. rhei pulverati & millepedum pulveratorum ana g̃xv. jalapæ & diagridii ana g̃viij. & cum s. q. sirupi de quinque radicibus fiat opiata pro una dosi.

Si urgeat calidior anni tempestas, vel

debilitetur ventriculus, à purgantibus & fortiter aperientibus abſtinendum eſt, & lenia diuretica & moderatè aperientia remedia in uſum revocanda ſunt. In hunc finem præſcribi poſſunt ſub variis formulis herbæ aperientes & diureticæ, tartarum chalybeatum, grana ſeu ſemen paliuri, rhabarbarum, &c.

Verùm antequàm finis imponatur uterini hydropis curationi, nonnulla animadverſione digna judicamus. Et 1°. quidem uteri hydrops morbus eſt chronicus, remediorum vi ſæpe reſiſtens; hinc remedia ſuperiùs præſcripta vel conſimilia frequenter repetenda ſunt. 2°. Dum uteri hydrops graviditatem concomitatur, à violentis, & præſertim purgantibus remediis abſtinendum eſt. 3°. Dum pendet hydrops uteri à prægreſſis hæmorrhagiis uterinis, aut alvinis, purgantia vel nullo modo, vel cautè admodum ſunt inſtituenda. Virum vidimus nobilem immanibus pedum, crurum, & femorum tumoribus œdematoſis, & naſcenti abdominis hydrope laborantem, conſequenter ad immoderatum prorſus, & penes copiam & penes durationem, hæmorrhoidum fluxum. Omnium quidem purgantium opem ablegavimus, ſoliſque diureticis & ape-

rientibus illum feliciter ſanavimus. 4°. Dum citra graviditatem fit ſeri aut lymphæ collectio in uteri cavo, remediis appropriatis uteri orificium aperiendum eſt; & dein aperientium ope, liber per uterum reſtituendus eſt humorum circuitus. 5°. Robuſtis, & pituitoſis mulieribus uteri hydrope affectis conveniunt draſtica medicamina, qualia trochiſci alhandal, aqua vitæ. Germanica, &c. 6°. Mulieribus verò macilentis, aridis, bilioſis, & quarum humores diſſoluti & acres ſunt, conveniunt ſemicupia, balnea, lacticinia. 7°. Licet uteri hydrops, ut patet ex ſupra ſtabilitis, methodicè ſanandus ſit, nihilominus tamen, unius tantùm continuato remedii uſu, ſanatum fuiſſe hunc hydropem, & aliorum obſervatis recipimus, & propriis obſervabimus; ſic ſolus ſucci ireos noſtratis uſus repetitus, ſic pulvis radicis ireos Florentinæ, vicibus repetitis aſſumptus, millepedes pulverati, & demum feculæ radicis brioniæ hydropem ſanarunt juxta nonnullorum relata. Vidimus & ipſi uteri hydropem ſanatum etiam in gravidis ope ſirupi de rhamno cathartico, ad unciam unam deſumpti mane per aliquot dies. Vidimus & quoque totius abdominis

hydropem, quo laborabat mulier quadraginta circiter annos nata, quæ varia, ſed incaſſum aſſumpſit remedia à medico præſtantiſſimo præſcripta, ſolius olei olivarum ope, ut retulit, mane, per novem dierum ſpatium aſſumpti, primo ſcilicet die ad unum cochleare, ſecundò ad duo cochlearia, & ſic deinceps, perfectè curatum.

CAPUT VI.

De prolapſu uteri. Morbi deſcriptio & definitio.

UTeri prolapſum, juxta cauſarum præſertim varietatem, varia ſolent concomitari ſigna. Sic nunc erumpit per uterum ſanguis, hancque uteri hæmorrhagiam ſtatim ſubſequitur illius partis, & præcipuè partium quibus alligatur uterus, dolor; ſuccedit febris, aliquando convulſio; ſupprimuntur evacuationes ſolitæ per anum & per veſicam: nunc verò abſque ullo dolore, hæmorrhagia ulla & abſque febre, ſed cum frequenti pudendorum madore excidit uterus. In utroque caſu inſoliti

deprehenditur ponderis ſenſatio in pudendis, in quorum apertura, nunc magis, nunc minus extenſus apparet multiformis tumor, aliquando autem ſtruthio-cameli ovum, aliquando virile membrum quoad formam exteriorem, & rimulam tumoris medium occupantem ſatis aptè repræſentat. Aliquando demum apparet, extra pudenda rugoſa, humore mucoſo madida & informis maſſa, quâ, ſicut in citatis jam caſibus, ingrati ponderis ſenſatio percipitur, inceſſus difficilior, & coitus moleſtior reddi conſuevit; mulieres itaque illis ſymptomatibus affectæ, uteri prolapſu, vel procidentiâ laborare non immeritò dicuntur.

Verùm quandoquidem tædioſum foret omnia ſigna jam repetita, quæque ſimul vix unquam deprehenduntur intra arctos unius definitionis limites, comprehendere, modo ſequenti juvat hunc morbum definire. Eſt itaque uteri prolapſus præternaturalis illa uteri, aut vaginæ, è ſede propria, dimotio, quâ intra vel extra pudendorum labra multiformis apparet tumor functiones notabiliter lædens. Complectitur prima hujus definitionis pars omnem uteri mutationem è loco naturali verſus partes

ſuperiores, ut aliquando in uteri ſtrangulatu contingit, vel verſus alterutrum iliorum, ut in particularibus uteri convulſionibus, & depravato fœtûs ſitu ſolemne eſt: vel verſus veſicam anterius, vel poſterius, id eſt, ad ſedem in variis circumſtantiis. Poſterior verò comprehendit verum uteri, aut vaginæ prolapſum, ut ex jam dicendis clariùs patebit.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Ex pluribus hujus morbi differentiis, nonnulla tantùm magis nimirum notabiles & frequentes magis juvat percurrere, quæque non incongruè deſumi poſſunt à diverſa tumoris figura, à diverſa parte affecta, à morbi diuturnitate, compoſitione, & tandem à cauſarum diverſitate.

1°. Itaque non ſolùm fidelibus auctorum relatis, ſed & frequenti experientiâ manifeſtum eſt conſpicuum in prolapſu uteri tumorem nunc ſtruthio-cameli, aut anſeris ovum, nunc virile membrum, aliquando informem maſſam carneam figurâ ſatis aptè repræſentare. Hinc itaque diverſæ ſpecies penes figuram, vel ſaltem morbi differentiæ variæ.

2°. Vel totum uteri corpus, illius fundum, aut interior uteri membrana rugosa ad pudenda, imò & extra eadem provolvitur, vel corrugatæ vaginæ tunicæ laxantur, crassescunt, & pendulæ versus anteriora truduntur. Priores species ab utero nimirum vel uteri partibus oriundas, verum; posteriorem verò à vitiata vaginæ inductam, spurium uteri prolapsum juvat appellare.

An verò uterus, aut aliqua illius pars afficiatur in hoc affectu, vel, quod idem est, an detur verus uteri prolapsus, quandoquidem circa hanc rem, maxima inter auctores etiam practicos promoveatur controversia, paucis examinaturi.

Negatur ille prolapsus à *Meckerano*, *Roonhuyseo*, *Kerckringio*, aliisque non sine audacia firmiter asserentibus, deceptas fuisse obstetrices, & cum illis, ut loquitur *Vanhornius*, magnam medicorum partem deceptam fuisse, falsò scilicet vaginæ inversionem, & descensum pro uteri prolapsu usurpando. Interim tamen *Carpus*, *Paræus*, *Hildanus*, *Bartholinus*, & plurimi alii hunc asserunt prolapsum uteri, cujus quidem existentia non modò validissimis rationibus, sed & experimentis in dubium

nullatenus revocandis confirmari poteſt, ut patebit ex jam dicendis. Et quidem aſſerimus bonâ fide nos proprii uteri prolapſum ter vidiſſe & contrectaſſe. Verùm rationes & experimenta magis haud dubiè ponderoſa ad inveſtigandam rei veritatem jam enucleanda ſunt. 1°. Itaque patet ex uteri anatomia viſcus illud ligamentorum ope partibus connecti vicinis. Hæc ligamenta, præſertim ſuperiora, elongata, laxata, debilitata, vel rupta, neceſſario uteri prolapſui occaſionem præbebunt : ſic relaxata articulorum ligamenta luxationes procreant. 2°. Membrana uteri interior, vel illius fundus ſeparari poteſt à reliquis membranis, vel partibus conſtituentibus uterum. Hoc nonnunquam in ſcabie, in lepra, in partium externarum combuſtione, & in convolvulo manifeſtum eſt, cum epidermis, integumentis communibus alioquin firmiter adhærens, ab illis tamen ſeparata prorſus obſervetur; vel inteſtinorum pars una cæteris laxior, in eorum cavitatem, truditur, unde convolvulus : hinc totius uteri, vel membranæ illius interioris, vel fundi prolapſus rationibus comprobatur. 3°. Quod ſpectat experimenta unum à *Paræo* relatum tanquam indubitatum, to-

tamque controversiam resolvens juvat referre. Refert clarissimus ille auctor se, cum variis medicis & chirurgis, vidisse mulierem vero uteri prolapsu diù laborantem, illudque viscus prolapsum, gangrænâ nimirum affectum, repetitis vicibus amputavit; & inde sanitati pristinæ restituta fuerat ægra: sed paulo post subitaneâ pleuritide correpta interiit; & apertâ regione hypogastricâ, nullus reperiebatur uterus, sed (ut *Paræi* verbis utar) callosum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquam otiatur in nobis, jacturam ejus partis quasi reparatura, vel lacunam potiùs alvi repletura substituerat. Ergo & rationibus, & indubitato experimento patet dari propriè dicti uteri prolapsum, de quo apud practicos promoveri solet controversia.

3°. Vel à brevi temporis spatio, vel à longo apparuit prolapsus ille; hinc illius divisio in recentem & inveteratum.

4°. Vel solius recensitarum partium prolapsûs symptomata, vel alia simul suî præbent indicia: unde divisio illius in simplicem & compositum.

5°. Non ab una tantùm causa, sed à causis inter se penitus distinctis, produci solet ille prolapsus, à laxitate ni-

mirum uteri, vel ſeparatione interioris membranæ à cæteris membranis uterum efformantibus, aut tandem à rugarum vaginæ laxitate, inverſione, aliiſque vitiis: hinc penes cauſas, diverſæ prolapſus ſpecies, quæ jam ulteriùs patefient.

CAUSÆ.

Pro partium prolapſarum varietate, non raro & quoque variare ſolent cauſæ prolapſum inducentes; hinc non tantùm inutilitas, ſed & impoſſibilitas ſtabiliendi paucis, unam peculiarem cauſam proximam & immediatam hujus morbi. Producitur itaque morbus ille à vitio ligamentorum, à vitio fundi ipſius uteri, vel demum à vaginæ affectibus.

Verùm 1°. vitiantur uteri ligamenta, dum laxantur, dum elongantur, dum putreſcunt, ſolutionemve continui quomodocumque patiuntur; hinc exſuperans ſeri, aut lymphæ copia, ut in hydrope univerſali abdominis, aut uteri, & in fluore inveterato muliebri, ſeſſio in locis frigidis & humidis, partus difficiles, violentæ ſecundinarum extractiones, exercitia immoderata, animi pathemata varia, pravus fetûs in utero

ſitus, ulcera, abſceſſus, & alia id genus, pro cauſis memorati prolapsûs, habenda ſunt.

2°. Exteriùs quoque provolvitur uteri fundum; dum relaxatur, dum diſtrahitur, & cauſæ ſuperiùs allatæ, nimia ſcilicet copia ſeri, lymphæ, aut pinguedinis, extractio violenta fetûs, molæ, aut ſecundinarum, tanquam cauſæ remotæ ſpectandæ ſunt. Membrana interior uteri à cæteris ſeparari poteſt, & prolapsûs ſpeciem inducere. Separatur autem ab aliis membranis multifariàm : peculiari ſcilicet ejuſdem laxitate, quam producunt uteri hydrops, ejuſdem membranæ hydatides, obſtructiones, &c. vel fortiori niſu in illam membranam agente, quem ſollicitant partus difficilis, ſecundinarum extractio valida, &c. vel inflammatione eryſipelatoſâ, quam inferunt humorum ſanguineorum ſtaſes ſubitaneæ, injecta corroſiva, acida, irritantia, &c. Eumdem quoque effectum poſſunt producere ſtrangulationes, uterinæ convulſiones, copulationes frequenter nimis uſitatæ, &c.

3°. Rugoſa quoque vagina, modis quamplurimis, vitiatur : laxitate nimirum à graviditate ſæpiùs iterata productâ, ab adaucto fetuum numero, à ſe-

roſi

rosi aut lymphatici humoris decubitu, ut, in uteri hydrope, aliisque casibus, observare solemne est; nimio partis affrictu, ut accidit nimis frequenti pessariorum, aliorumve corporum intromissione, amisso partis tono, qui morbos illius partis inflammatorios, & venereos præsertim non rarò subsequitur.

SYMPTOMATA.

Inter plurima prolapsûs uteri symptomata, quæ frequentiùs occurrunt juvat explicare, tantoque magis, quòd ex illorum cognita semel theoria, cætera, minus scilicet frequentia, marte facili explicabuntur.

1°. Itaque uteri prolapsus, qui à subitanea vasorum ruptura proficiscitur, vel eamdem tanquam comitem habet, his stipari solet symptomatibus: evacuatione scilicet sanguinolentâ, dolore, calore, febre, convulsione, motuve convulsivo, alvi constipatione, & ischuriâ seu urinæ suppressione; quæ quidem symptomata haud difficili operâ explicantur. Et 1°. quidem ex vasorum uterinorum ruptione, liquorem sanguineum effundi necesse est: hinc evacuatio sanguinolenta per uterum & vagi-

nam. 2°. Ex vaſorum ſanguineorum ruptura ſubitanea nerveæ vaſorum fibrillæ tenduntur, & diſtrahuntur : unde dolor. 3°. Ex illa tenſione & diſtractione reciproca, ſolidorum oſcillatio, liquidorumque motus maximè intenditur : inde calor, & partium præcisè affectarum, & earum, quibus connectitur uterus, quæ in conſortium trahuntur. 4°. Ex ſolidorum tenſione diſtractiva & liquidorum motu adaucto fit celerior venoſi ſanguinis appulſus ad cordis auriculas : unde dilatatio earumdem celerior, conſimilis ventriculorum dilatatio, & contractio, arteriis communicanda : unde pulsûs præternaturalis celeritas, quæ febris vulgò dicitur.

5°. Ex iteratis & violentis fibrillarum nervearum motibus, violenti & celeres fiunt ſpirituum, ſi qui ſint, influxus, vel ſaltem celeres, violentæ, & involuntariæ fiunt fibrillarum nervearum agitationes & mutationes : hinc convulſiones aut motus convulſivi. 6°. Ex jam laudato uteri ſtatu quaſi inflammatorio, ſanguinea illius vaſcula replentur : hinc major cruoris derivatio ad inteſtina, & veſicam urinariam ; unde vaſorum partes illas efformantium rigiditas major, cauſis vel irritantibus vel prementibus

minùs cessura, calor naturali major, tenuia magis fluida dissipaturus, & tandem intestinorum & vesicæ urinariæ, ob majorem uteri molem pressio inassueta; unde notabilis & morbosa intestinorum & vesicæ pigritia.

2°. Dum à sola laxitate uteri, ejus fundi, vel ligamentorum proficiscitur malum, nec sanguinea uteri vasa rixim patiuntur, nec tenduntur fibrillæ nerveæ, nec augetur solidorum oscillatio, nec intenditur liquidorum motus, nec venosus sanguis celerius solito ad propria vascula appellit ad cor, nec celeres fiunt spirituum influxus, nec vibrationes nervorum frequentiores: hinc nulla evacuatio sanguinolenta, calor nullus, nullusque vel parùm sensibilis dolor, nulla febris, convulsio nulla, nullique convulsivi motus. Sed 1°. à prolapsa parte comprimi quidem potest & vesica, & intestinum; unde fecum alvinarum & urinæ suppressio. 2°. In utraque prolapsûs specie, è sede naturali dimovetur uterus, vel notabilis illius pars, & intra, vel extra pudendorum labra remanet quasi pendula; unde ponderis ingrati sensatio. 3°. Prout pars illa magis, minùsve à pudendorum labris exteriùs recedit, tumorem appa-

rere magis vel minùs extensum, necesse est. 4°. Prout major vel minor uteri pars, magisque vel minùs per vaginam expanditur, & uteri orificium magis vel minùs notabile apparet; hinc tumor nunc virile membrum, nunc verò struthio-cameli ovum solet repræsentare. *Histoire de M. Bezac.*

3°. Dum rugosæ vaginæ tegumenta ultra modum laxantur, crassescunt, è sede naturali recedunt, notabilemque tumorem efformant. 1°. Ratione majoris molis, majorisque extensionis, apparet tumor rugosus, informis, carneæ massæ similis. 2°. Ratione majoris vasorum laxitatis, pars affecta mucoso humore madida semper deprehenditur. 3°. Crurum musculi à pendula nimirum parte compressi, & lacessiti non nisi difficilè alternatim contrahi possunt: hinc difficilis incessus. 4°. Expansa ex utraque parte vagina plurimum coarctatur, nec sine dolore dilatari potest; non mirum itaque si utrique sexui & difficilis, & ingratus sit coitus.

Quod spectat cætera hujus morbi symptomata, ex jam explicatis, levi admodum operâ, poterunt deduci.

DIAGNOSIS.

1°. Patet, ni fallor, uteri prolapsûs generalis idea, ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt in deſcriptione, definitione, differentiis, &c. ea itaque quicumque in mente revolverit, claram & diſtinctam ſatis ſtatim habebit hujus morbi cognitionem. 2°. Et ut ab aliis uteri morbis diſtinguatur, nullâ, meo quidem ſenſu, explicatione opus eſt; cæteri enim affectus, quibus obnoxiæ ſunt genitales illæ mulierum partes, nullam ſimilitudinem, analogiam nullam cum uteri prolapſu videntur habere. Unus forſan poteſt eſſe mulierum ſtatus, in quo verus licet ſit uteri prolapſus, pro eo tamen ab ignaris vel incautis, parùmque fideliter res examinantibus, non ſumatur: & ut hoc clariùs appareat, ſequentem juvat recitare hiſtoriam.

HISTORIA.

Varias hujus regni civitates tranſmigravit quadraginta aut circiter retrò annis, mulier quædam triginta aut circumcirca annos nata, ſeſeque in illis nudè videndam expoſuit lucri gratiâ;

illamque ſedulò intuentes non vulgus tantùm, ſed & medicorum atque chirurgorum numerus repetitus, eo præcisè, quòd extra illius pudenda apparuit tumor notabilis, virile membrum penitus æmulans, pro hermaphrodito omnes habebant. At tandem Monſpelium appulit, ubi morbo quodam ſubito correpta noſocomium adiit. Hanc à Facultate noſtra haud dubiè delegatus, ad inveſtigandam rumoris paſſim recepti veritatem, viſitavit Decanus noſter plurimum venerandus D. Bezac, qui, facto priùs diligenti ſcrutinio, non hermaphroditum, ſed mulierem veri uteri prolapſu laborantem detexit, publicèque divulgavit.

Ex hac hiſtoria patet uteri prolapſum pro combinatione utriuſque ſexûs in uno eodemque individuo, ob inaſſuetos, ut dicitur, naturæ luſus, nonnunquam haberi ab ignaris, vel res cortice tenus examinantibus.

3°. Diverſæ hujus morbi ſpecies dignoſcuntur operâ haud penitus difficili: nam 1°. dum totum uteri corpus prolabitur, immanis, plurimùmque verſus crura expanſus obſervatur tumor. 2°. Dum uteri fundus, vel membrana illius interior, ad pudenda truditur, minus

notabilis eſt tumor, labraque uteri occupat: in priori caſu, tumor, membrum virile; in poſteriori, ovum ſtruthio-cameli, figurâ plerumque repræſentat. 3°. Dum ſola afficitur vagina (& quidem, ut veritatem ſemper fateamur, hujus prolapſus, ut vulgò dicitur, uteri procidentiâ frequentior eſt) apparet tumor extra pudenda, diſtinctæ ut plurimum nullius figuræ, in quo inceſſus moleſtior, & coitus difficilior neceſſariò reddi ſolet, imò & magis ingratus. Prætereà in vaginæ prolapſu, veri prolapſûs uteri ſymptomata ſuperiùs enumerata non reperiuntur. Utrum morbus ſit recens, & ſimplex, &c. facilè innoteſcit.

4°. Diſtinctas hujus morbi cauſas qui voluerit dignoſcere, ea, quæ ſuperiùs diximus de cauſis, &c. diligenter examinet. Sed præterea cùm prolapſum illum vel antecedit, vel concomitatur ſanguinolenta evacuatio, dolor, calor, febris, convulſio, ſignum eſt neceſſariò diſtrahi violenter vel totum uterum, vel aliquas illius partes: hoc confirmatur violentis obſtetricum niſibus, dum ſecundinas, fetum mortuum retrahunt violenter. 2°. His ſymptomatibus deficientibus, & extra pudendorum

labra apparente tumore immani cum ponderis ingrati ſenſatione, ſignum eſt morbum à ligamentis laxatis pendere: hoc confirmatur, ſi aliquâ tantùm hydropis ſpecie afficiatur ægra, vel ſi morbus immediatè ſubſequatur ſeſſionem in locis frigidis, humidis, &c. vel ſi nimiâ pinguedine referta ſit, &c. 3°. Vaginæ inverſionis cauſæ, ex iis, quæ ſuperiùs diximus, innoteſcunt.

PROGNOSIS.

Uteri prolapſus morbus eſt longus, cœnoſus, incommodus, ſæpe periculoſus, non rarò inſanabilis. Veritas hæc facilè confirmari poteſt. Nam,

1°. Viſcus illud vel ſecundum ſe totum, vel juxta notabiles illius partes ſemel laxatum, elongatum, vel diſtractum difficilè ſtatui priſtino reſtitui poteſt. Hinc morbi diuturnitas, quam veram eſſe confirmat frequens nimis experientia. Hujus quoque affectûs diuturnitati favent ſitus uteri in declivi & ima corporis regione, parum firmus ligamentorum textus, partium quibus alligatur laxitas, & demùm perpetuus humorum ad uterum tanquam ad communem corporis muliebris ſentinam, affluxus.

2°. Uteri prolapſus tumorem efformat, vel intra, vel extra pudendorum labra, ad quem ſemper appellit continuo quaſi rivulo humorum viſcoſorum copia exſuperans; in hoc colliguntur, moramque, ob tumoris laxitatem, trahunt: hinc illorum alteratio, & putreſcentia ingratum latè ſpargens odorem, fetidumque ac parum vel nullo modo interruptum induſii, imi ventris, pudendorum, crurum, & inguinum madorem inducens. Ergo prolapſus uteri morbus eſt cœnoſus.

3°. Licet remediorum ope reponatur uterus, ægris quieſcentibus, & in ſitu horiſontali poſitis; dum ſtare & incedere incipiunt, vel levi de cauſa uterus prolabitur. Hinc ſæpe repetita moleſti ponderis ſenſatio difficilis, & ſolito laborioſior inceſſus, coitus difficilis & ingratus, & tandem optata interrumpitur fecunditas. Ergo prolapſus uteri morbus incommodus.

4°. Sæpe uteri prolapſum antecedunt, concomitantur, vel immediatè ſubſequuntur immanis hæmorrhagia, dolor acutus, calor deurens, intenſa febris & convulſio, ſive motus convulſivi. Quodlibet ex dictis ſymptomatibus periculo plenum eſt: quanto majus periculum

minitatur illorum omnium collecta series! Præterea disrupta, cæsa, vulnerata ligamenta ulcerantur, putrescunt; unde mala seriùs aut citiùs mortem latura. Intra quoque vel extra pudendorum labra sedem eligit morbosus tumor, qui & putrescentibus liquidis perpetuò irroratur, aeris exterioris actioni exponitur, viarum angustiâ coarctatur, femorum pressionem & indusii perpetuum patitur affrictum; hinc proximum inflammationis, gangrenæ & sphaceli periculum. Prolapsus itaque uteri morbus est sæpe periculo plenus.

5°. A quacumque causa procedat uteri prolapsus, difficilè curatur, ut suprà dictum est: sed cùm à gradaria & inveterata ligamentorum laxitate, aut elongatione proficiscitur, & præsertim quando pro causa agnoscit eorumdem ligamentorum corruptionem, sectionem, rosionem, & qualemcumque integram continui solutionem, nullâ, quod sciam, arte morbus sanari potest; non raro itaque prolapsus uteri insanabilis est.

Verùm laudata jam hujus morbi prognosis juxta varias circumstantias, solet & quoque variare. Nam

1°. Pro majori vel minori symptomatum vehementia magis vel minus

periculosa est prognosis hujus morbi. Sic, ut suprà innuimus, dum hæmorrhagia notabilis est, calor, & dolor maximus suî præbent indicia, dum febris acuta ægras divexat cum motibus convulsivis, aut convulsione; majus est, cæteris paribus, periculum, quàm cùm desunt illa symptomata, & eorum loco deprehenduntur tantùm molesti ponderis sensatio, difficilior incessus, ingrata & difficilis copulatio, &c. Suppressio pariter urinæ huic morbo familiaris, alvi constipatione, periculosior est.

2°. In ætate provecta, aut senili, in qua amissus semel partium tonus ægriùs restituitur, majus; in ætate verò juvenili, juxta contrariorum leges minus portendit periculum, vel saltem faciliùs sanatur uteri prolapsus.

3°. Veræ uteri substantiæ prolapsus, vaginæ prolapsu difficiliùs curatur, & periculosior est, tum quòd uterus magis laxus sit, tum quòd longiùs distet à remediis applicandis.

4°. In inveterato uteri prolapsu, partes affectæ difficiliùs, faciliùs verò in recenti restituuntur; hinc prior magis, posterior verò species minùs periculosa est.

5°. Quo magis crescit morborum nu-

merus in eodem individuo, eo majus; quo verò magis decreſcit, eo minus, cæteris paribus, eſt periculum. Ergo prolapsus uteri compoſitus, aut complicatus, ſimplici magis periculoſus eſt.

Eodem vel conſimili modo ratiocinandum eſt de aliis circumſtantiis, juxta quas variare ſolet uteri prolapsûs prognoſis.

CURATIO.

Hujus morbi generalis & prima indicatio curatoria in eo præcisè conſiſtit, ut prolapſa pars ſitui priſtino reſtituatur, ibidemque retineatur. Reponenda itaque eſt prolapſa pars omni curâ, & diligentiâ, ne ſummum curationi opponatur impedimentum ob morbi diuturnitatem, ſymptomatum vehementiam, & gangrenæ aut ſphaceli periculum. Oportet ergo præ primis mulierem reſupinam ſic collocare, ut coxas habeat altiores, poplites dilatatos & reflexos; deinde pars prolapſa, ſi nimis frigida & tenſa deprehendatur vel oleo tepido, vel butyro non ſalito, vel decocto malvæ, althææ, fænugræci, ſeminis lini & baccharum lauri foveatur, ut tractabilior reddatur, reſpergatur pulvere aſtringente ſequenti.

℞. Acaciæ, boli armeniæ & aluminis rupei ana ℥x. in pulverem redige.

Poſtea chirurgus aut obſtetrix, intinctis priùs digitis, intinctâve manu oleo myrtino, aut lentiſci decocto, aut vino rubro tepido, in quo fuerunt decoctæ roſæ rubræ, uterum prolapſum in ſedem propriam leniter, & actione gradariâ reponat. Reſtituto ſic utero, omnis adhibenda eſt cura, ut in proprio retineatur loco. In hunc finem tria requiri ſolent. 1°. Scilicet ægræ ſitus reſupinus, & talis crurum poſitura, ut alterum alteri incumbat. 2°. Occluſio vaginæ, quâ nonnunquam morbi recidiva præcavetur. Sic peſſarium aſtringens, & vaginæ diametro, formâ & craſſitie reſpondens, non ſine ſucceſſu inſtitui ſolet. 3°. Partes quibus ſuperiora uteri ligamenta connectuntur, corroborandæ: ſunt ſic emplaſtrum contra rupturam applicatur regioni utrinque lumbari, vel aliud emplaſtrum ex ladano, thure, maſtiche, galbano, terebinthinâ, ſanguine draconis, aliiſque id genus remediis confectum. Foveri & quoque poteſt uterina regio vino rubro tepido,


in quo decocta fuere remedia ſequentia vel conſimilia, radices nimirum conſolidæ majoris & rubiæ tinctorum, roſæ rubræ, balauſtiæ, &c. Aſtringentia & quoque ſub opiatarum formâ & per decem aut duodecim dies continuanda, ſumenda ſunt ſub ſequenti formulâ.

℞. Conſervæ radicum ſymphyti majoris ℨß. terræ Catechu, ſanguinis draconis & aluminis pulverati ana ℈j. & cum ſ. q. ſirupi de roſis ſiccis fiat opiata pro unâ doſi.

Verùm antequam deſeramus hujus morbi curationem, varia ſunt quæ ſedulam merentur attentionem, & 1°. quidem uteri prolapſus morbus eſt plerumque chronicus & contumax: hinc non unâ tantùm vice, ſed repetitis vicibus appropriata in uſum vocanda ſunt remedia. 2° Dum à cauſa violenter agente producitur morbus, & præſertim dum ſæviunt ſymptomata, qualia ſunt calor, dolor, febris convulſiones, &c. repetitæ venæ ſectiones, emulſiones, narcotica, &c. Abſolutè neceſſaria ſunt cum diætâ tenui. 3°. Si lento greſſu accedat malum, & ab hydrope v. g. univerſali, aut particulari, vel à fluore albo proficiſcatur,

prolapsus ille curari nequit, quin priùs tollantur affectus illi, quorum symptoma est: ergo adaptata illis morbis profligandis remedia sunt necessario præscribenda cum fortiori, & exsiccante diætâ. 4°. Ut liberior semper reddatur labefactatus uterus, levia conveniunt diuretica, ut expellatur, in vesicâ collecta urinæ copia, & clysteribus iteratis laxanda est alvus. Quod verò spectat emetica & purgantia, credimus sæpiùs magis nociva esse quàm proficua, habito præcisè respectu ad veram morbi indolem. 5°. Cucurbitas propè umbilicum, mammas & lumbarem regionem, quarum ope, superiùs retrahitur uterus, tantùm abest ut damnemus, quin ex adverso maximè laudamus dum præsertim morbus recens est & laxitatem pro causa agnoscit. 6°. gratum suavemque odorem spargentia naribus; graveolentia verò medicamina pudendis admovenda non damnamus, tum quia, nisi in peculiaribus temperamentis, nullum possunt inferre incommodum, tum quia à majoribus nostris omni fide dignis laudantur; & demum quod eorum usus, rationibus satis probabilibus confirmare arduum non esset, si per otium liceret. 7°. Dum uterus reponi nequit consuetâ, & superiùs propositâ

methodo, ægræ oſtendens Medicus, aut Chirurgus ferrum igne candens, volens quaſi ſtatim prolapſam, eo, partem tangere, maximæ & parum expectatæ utilitatis eſſe poteſt. Hoc nos docet, non ſolum *Roderici à caſtro* auctoritas, licet apud nos maximi ſit momenti, qui affirmat ſe vidiſſe Chirurgum, conſimili methodo prolapſa, per vulnus, inteſtina, reſtituiſſe; verum & confirmat probabilis ratio, quâ pronum eſt conjicere humanam machinam propriæ ſemper conſervationis avidam, ſeſe ad minores quaſi anguſtias reſtringere, dum accedentia ſubitò reſpicit agentia maximè nociva. 8°. Demum cautelæ variæ ſuperiùs allatæ; cucurbitæ nimirum, emplaſtra ſuperioribus partibus, applicanda medicamina grata aut fetida nunc naribus, pudendis modò admovenda parum vel nullo modo proſunt, dum ſola afficitur vagina; tunc enim aſtringentia, vel ſaltem medicamina morbo debellando appropriata adminiſtranda ſunt.



CAPUT VII.

De Cancroſo uteri tumore. Morbi deſcriptio & definitio.

OMiſſis tanquam parum utilibus iis rationibus quibus tumoris cancroſi, cancri, vel carcinomatis natura, meliùs dicam nomenclatura, ſuffulta eſt; tumorem ipſum à primordio ad finem uſque proſequamus. In hujus uteri tumoris cancroſi, principio, uterus ipſe, vel ſaltem pars aliqua illius notabilis apparet extenſione ſolito majori conſpicua; tumor ille durus eſt & renitens; nunc citra dolorem ullum, nunc cum dolore obtuſo, cum affecta pars comprimitur; aliquando à prima tumoris origine, cum dolore nunc obtuſo, nunc lancinante, ſenſim augetur partis tumefactæ moles, anxietates per vices recurrunt. Dolor nunc magis, nunc minùs ſenſibilis eſt, uterinorum purgaminum ordo pervertitur, fluunt enim menſtrua nunc tardiùs, & minori copiâ; nunc verò citiùs & hæmorrhagiæ uterinæ ad inſtar, aliquando ſupprimuntur. Liquor fetidus & ichoro-

ſus guttatim per vaginam excernitur; ſæpè vaginæ capacitas ſicca, nulloque humore madida deprehenditur; accedunt ſæpè febriles æſtus. Verum, dum inveteraſcit malum, omnia in pejus ruunt, tumor admodum notabilis evadit, dolore quaſi continuo afficitur, ſubſequitur lenta febris, corporis marcor, tuſſis, vigilia, ſitis, &c.

Verum hæc omnia cancroſo uteri tumori alioquin non ſemper eſſentialia, unius definitionis termino comprehendere & tædioſum & inane prorsùs foret, quapropter morbum hunc juxta ſymptomata tantùm merè eſſentialia juvat definire.

Cancroſus itaque uteri tumor modo ſequenti definiri poteſt. Tumor ille uteri vel notabilis uteri partis, duritie, renitentiâ & dolore, vel ſæpiùs recurrente, vel conſtanti ſtipatus.

Morbi Differentiæ.

Frequentiores hujus morbi differentiæ poterunt deduci, vel à diverſitate ſedis, vel à diversâ tumoris naturâ, vel ab illius diuturnitate, compoſitione, vel demum à cauſarum varietate. 1°. Itaque vel internæ uteri ſubſtantiæ inhæret tumor ille

cancrosus, vel exteriùs, juxta illius visceris orificium, sedem eligit, hinc illius divisio in internum, & externum. Posterior hæc species non tangi tantùm, sed & videri juxta totam illius dimensionem speculi ope, non raro potest; tuncque præter signa superiùs allata, deprehenditur tumor inæqualis, lividus, aut subniger, graveolens verbo, visu horribilis.

2°. Vel tumor ille recens est, & nullum effundit humorem, vel juxta partes aut internas, aut externas, dissolutum cruorem, saniem loturæ carnis similem, vel ichorem fetidum, & satis copiosum eructans. Prior species tumor cancrosus occultus, vel carcinoma : posterior verò tumor cancrosus, ulceratus, vel phagædena nuncupari potest. Præterea tumor cancrosus in genere magis vel minùs occultus est, quò magis vel minùs distat à tegumentis externis.

3°. Vel à brevi vel à longo temporis spatio, apparuit morbus ille : hinc nunc recens, nunc inveteratus dicendus est. Præterea vel indolens imprimis est tumor ille, vel dolore aut lancinante aut saltem obtuso, aut constanti aut sæpiùs recurrente afficitur : hinc simptomatum varietas.

4°. Vel solius hujus morbi signa, vel

cum illis, aliorum morborum uteri, aliarumve partium ſigna deprehenduntur, hinc illius tumoris diviſio in ſimplicem, & compoſitum ſive complicatum.

5°. Nunc à collectione lymphæ inſpiſſatæ, vaſcula ſanguinea per viciniam reptantia ſenſim comprimentis, proficiſcitur tumor ille, nunc à lymphæ collectæ acrimoniâ & aſperitate (quicquid in contrarium arguant novatores varii, quorum doctrina, in verborum aut ſonorum mutatione, tota conſiſtit) natales dicit; aliquando à vitiatâ & indurata ſanguinis fece producitur, etiam in ſanguineis vaſculis, tumor ille cancroſus: hinc variæ illius diviſiones penes cauſarum varietatem.

CAUSÆ.

In aſſignandâ tumoris cancroſi cauſâ, non levis inter antiquiores, & inter recentiores medicos promoveri ſolet controverſia, illi nunc unam, nunc alteram aſſignant cauſam *Galenus* v. g. naturalem melancholiam, vel atram bilem redundantem, & in peculiari corporis parte collectam pro tumoris cancroſi cauſâ aſſignat. *Sen tus* bilem accuſat aduſtam, *Avicenna* melancholiam aduſtam: *Oribaſius* bilem fervefactam.

Rodericus à Castro atram bilem, *Fabricius ab Aquapendente*, & *Paræus* atram bilem & id omne quod sanguinem adustum & melancholicum generare valet. Rondeletius demùm pro hujus morbi causa admittit humorem atrabilarium.

Verùm illa licet antiquorum sententia per varias annorum series parvo cum discrimine floruerit, nec (ut veritatem fateamur) à genuino, rectoque praxeos ramite plurimum recesserit : nihilotminùs tamen à tempore, quo detecta fuit humorum circulatio, antiquorum heoria, nescio an bonis, malisve ægrottantium rebus penitus obsoleta evasit.

Quod spectat recentiorum opiniones, aliquorum tantum juvat recensere. Alii itaque acido-salini, & austeri humoris collectionem pro causâ admittunt. Nonnulli essentialia tumoris cancrosi symptomata à solius lymphæ collectæ evaporatione, partium tenuissimarum productâ spissitudine & repetitis vasorum per viciniam reptantium ictibus immediatè deducunt; atque adeò illius lymphæ concretionem & solito fortiorem vasorum oscillationem tanquam causam hujus morbi immediatam aut conjunctam agnoscunt.

Non immorabimur in detegendis ho-

rumce syſtematum erroribus. Quid autem de iis ſentiamus ex jam dicendis patebit.

1°. Itaque fatentur omnes tumorem ſkirrhoſum omnem converti poſſe in tumorem cancroſum. 2°. Nonnulla corporis viſcera integra ſkirrhoſa fieri docet cadaverum apertio : totum enim hepar in omni puncto ſenſibili bis vidimus ſkirrhoſum, totum pancreas, ſemel & quoque totum deprehendimus ſkirrhoſum unum ex pulmonum lobis. 3°. Quotidianâ manifeſtum eſt praxi tumores ſkirrhoſos & cancroſos oriri à ſuppreſſis evacuationibus naturalibus vel habitualibus. 4°. Hoc & quoque experientiâ probatur nempè quod licet juxta artis leges tumor ſkirrhoſus & præſertim cancroſus ex toto tollatur, novum in partibus vicinis aliiſve pullulare. 5°. ſuccedunt ſæpè tumores ſkirrhoſi & cancroſi morbis chronicis. 6°. A primâ tumoris cancroſi origine, dolor aliquando adeſt, vel obtuſus vel acutus. 7°. Pars fit ſkirrhoſa brevi in tumorem cancroſum abitura ; à ſolâ contuſione, ſano alioquin corpore, & ablatâ ſemel illâ parte, ſanitas integra reſtituitur.

Ex his propoſitionibus experientiâ innixis, liceat nonnullas, tanquam totidem

corollaria, conſequentias deducere. 1°. Itaque ex propoſitione prima & ſecunda manifeſtum eſt tumorem omnem ſκirrhoſum poſſe in cancroſum converti, & integra viſcera, vel ſaltem viſcus aliquod juxta omnes illius partes fieri ſκirrhoſum. Hinc evidens eſt quod omnia affecti viſceris vaſa evadant ſκirrhoſa. Ergo non tantùm lympha in lymphaticis, ſed & ſanguis in ſanguiferis, & alia, ſi qua fuerint, liquida, in propriis vaſculis congeſta, inſpiſſata, &c. & tumori ſκirrhoſo & cancroſo immediatè conducunt producendo. 2°. Ex propoſitione tertiâ, & quartâ patet ex ſuppreſſis evacuationibus, oriri tumores tum ſkirrhóſos, tum cancroſos; imò & licet his tumoribus affectæ partes juxta artis chirurgicæ leges extirpentur, conſimiles enaſci tumores vel vicinis, vel in aliis corporis partibus. Hinc evidens eſt tumorem præſertim cancroſum non à ſolius lymphæ inſpiſſatione, nec à vitio locali, ſed à perverſâ humorum omnium craſi, in citatis caſibus pendere. 3°. Ex propoſitione quintâ & ſexta, certum eſt tumores generari cancroſos, ab humoribus vappidis, exſiccatis, aſperis, ſalinis; talis enim eſt humorum diſcraſia ſub finem morborum chronicorum: à tali quoque liquorum

diſpoſitione producitur cancroſus tumor, qui à principio dolorem habet comitem. 4°. Verùm in aliquibus circumſtantiis, certum eſt ex propoſitione ſeptima à vitio partis, imminutis v. g. vaſorum diametro & liquidi contenti ſpiſſitudine oriri ſtatim tumorem skirrhoſum qui deinde & vaſorum oſcillationibus, & liquidi concreti aſperitate, aut acredine, cancroſus evadit, ſine generali ullo liquorum vitio; quod demonſtratur ex dictâ propoſitione.

Ex his ita expoſitis demonſtratur cauſam immediatam cancroſi uteri tumoris eſſe humoris lymphatici aut ſanguinei, aut utriusque ſimul congeſtionem, ariditatem, aſperitatem vel acrimoniam in vaſis uteri lymphaticis aut ſanguineis vel utriſque ſimul. Cauſæ itaque remotæ erunt ea omnia, quæ eorumdem humorum congeſtioni, ariditate, aſperitati, vel acrimoniæ præbent occaſionem: hinc coarctata vaſorum uterinorum cavitas, quam producunt contuſiones externæ, ictus, caſus, &c. internæ convulſiones, irritationes, diſtractiones: humorum in uterinis vaſis deleteſcentium, & pravorum, mora, quam inferunt obſtructiones eorumdem, aut frigus poſt partum ſuſceptum, &c. quibus ſiſti ſolet menſtrualis

trualis purgatio. His, inquam, causis inducitur congestio pravorum humorum. Arescunt humores illi in genere à morbis chronicis, animi pathematis, exercitiis immoderatis, ardentium liquorum abusu, &c. Arescunt in parte affectâ, inflammatione illius partis, vasorum vibrationibus nimiis, remediis calidis, &c. Tandem asperitatem, seu acrimoniam humorum illorum producunt vel consimilis humorum crasis, vel partis affectæ fervor, oscillatio, irritatio, contusio, &c.

SYMPTOMATA.

Ex causis jam explicatis symptomata omnia tum essentialia sive pathognomica, tum accidentalia tumoris uteri cancrosi facilè poterunt deduci: etenim,

1°. Si totus uterus, vel notabilis aliqua illius pars à liquidis ibidem collectis & copiâ solito majori repleatur; hinc, vel totius uteri, vel partis illius notabilis tumor præternaturalis.

2°. Exsuperans concreta materies in uterinis vasis, efficit ut tumor ille tactui appareat & durus & renitens.

3°. Si spectetur tumor ille tanquam verè skirrhosus, nullus deprehenditur dolor: verùm dum carcinomatis, aut tu-

moris cancrosi naturam adipiscitur, dolorem semper habet conjúnctum. Dolor ille dependet ab asperitate vel acredine humorum in parte affecta collectorum, quia vel partes illæ calore vicino exaltatæ, & agitatæ, in vasorum, quibus continentur, parietes impingunt, vel quia hæc eadem vasa ab illis particulis stimulata, in earumdem partium scabritiem reagunt. Hinc fibrillarum nervearum irritationes & tensivæ distractiones, multigenæ quidem ob diversos particularum inspissatarum, & exsiccatarum, existendi & agendi modos; unde dolor nunc lancinans, nunc acutus, nunc obtusus.

4°. Ad expansa & dilatata semel uteri vasa, cancrosum tumorem retinentia, appellunt alia liquida spissitudinem, & asperitatem brevi susceptura, unde major in dies tumoris cancrosi expansio, & ratione doloris per vices renovandi, anxietates variæ, & dolores magis vel minùs sensibiles, prout magis vel minùs exasperantur collecti humoris partes.

5°. Proportione ferè eadem, quâ crescit tumoris cancrosi dimensio, eâdem, & imminuitur menstrualis purgationis vehiculum, & comprimuntur vascula catameniorum evacuationi dicata. Hinc pro majori, vel minori tumoris expan-

ſione ; & majori, vel minori doloris intenſione, nunc ſuppreſſio, nunc notabilis imminutio menſium. Verùm continuatâ tumoris expanſione, & auctâ doloris vehementiâ, menſtrualia vaſcula ſauciantur. Hinc frequentior vel copioſior uteri evacuatio, uterinam hæmorrhagiam aptè ſatis repræſentans.

6°. Dum pars tumoris exterior, repetitis vaſorum ictibus, aut iteratis materiæ contentæ motibus dilaceratur, exire materiem ſummè diviſam, & attenuatam neceſſe eſt: dum verò reſiſtunt exteriora tumoris vaſa, nihil effluit, hinc nunc per vaginam liquor ichoroſus, aut loturæ carnium ſimilis effunditur per vaginam; nunc verò vagina prorsùs arida deprehenditur. Ex combinatis, & adauctis partis affectæ doloribus, partiumque vicinarum compreſſionibus, venoſus ſanguis ſolito celeriùs ad cordis auriculas, ventriculos, indeque ad appenſas arterias propellitur, unde febriles æſtus.

7°. Temporis ſucceſſu magis magiſque dilatantur & ſtimulantur tumidæ partis vaſa, varia ibidem generantur liquida puris indolem redolentia, circulanti ſanguini perpetuò miſcenda, & vel in toto ſanguinis orbe, vel in diverſis colatoriis ſtrages diverſas editura ; hinc notabile

tumoris incrementum, dolor insignis, lenta febris, corporis marcor, tussis continua, virium debilitas, sitis, vigiliæ, &c.

DIAGNOSIS.

1°. Generalis hujus morbi notitia haberi potest ex iis quæ supra diximus, dum de descriptione, definitione, differentiis, &c. sermo erat. Quotiescunque autem in uteri corpore deprehenditur tumor durus, & renitens cum dolore vario, sed plerumque lancinante, aliisque symptomatibus superiùs citatis, pronum est conjicere uterum affici tumore cancroso, præsertim, si sub finem descriptionis alibi allatæ, symptomata indigitata sui præbuerint indicia, qualia sunt corporis atrophia, lenta febris, virium jactura notabilis, inappetentia, &c.

2°. Nec difficiliori opera distingui potest ab aliis affectibus uteri, quibuscum affinitatem quamdam videtur habere; tales sunt morbi illi, in quibus vel totus uterus vel aliqua illius pars sed manifesta satis citra consuetas naturæ leges tumet: sic tumet uterus dum hydrope afficitur, dum tumore skirrhoso infestatur, dum phlegmonodeo vexatur, &c.

Verùm 1°. tumor uteri hydropicus

mollis eſt, tactui facilè cedens, & indolens: tumor verò cancroſus durus, renitens & dolorificus; hoc tamen obſervatu dignum arbitramur tumorem uteri cancroſum ſæpè concomitari hydropem illius partis, imò & totius abdominis. 2°. In tumore uteri skirrhoſo adeſt quidem durities, & renitentia; ſed dolor nullus, tumori verò uteri cancroſo confirmato dolor eſſentialis eſt. 3°. Phlegmonodeus uteri tumor morbus eſt acutus; tumor verò cancroſus, morbus chronicus. Præterea minor longè eſt durities tumoris phlegmonodei, major tumoris skirrhoſi; acuta quoque febris tumorem phlegmonodeum, vel nulla vel lenta tumorem cancroſum concomitari ſolet. A graviditate & molâ diſtingui poteſt tumor cancroſus uteri, per ſigna utrique peculiaria.

3°. Ut innoteſcat ſpecierum hujus tumoris diverſitas, differentiæ ſuperiùs allatæ ſedulò percurrendæ ſunt. Sic 1°. ſi juxta vaginæ fundum, aut prope uteri orificium viſu, aut tactu percipiatur tumor ille, externus: ſi verò in interiori uteri ſubſtantiâ deprehendatur, internus tumor eſt cancroſus. 2°. Dum perpetuò effluit humor ichoroſus, ſanioſus, aut purulentus, tumor cancroſus ulceratus; dum verò vici-

næ partes nullo tali humore madent, non ulceratus, ſive occultus cancroſus tumor nominari conſuevit. 3°. A diverſa temporis periodo qua morbi ſymptomata apparuere, tumor dici poteſt vel recens vel inveteratus. 4°. Prout illius tumoris ſigna ſola, vel cum illis, alterius & quoque morbi ſymptomata eluceſcunt, tumor ille ſimplex, vel complicatus dicendus eſt.

4°. Cauſarum, quod ſpectat, hunc tumorem producentium, diagnoſim, illam per conjecturas tantùm, ſed ſatis quidem probabiles poſſumus interpretari. 1°. Si vel lymphæ luxuriantis vel inſpiſſatæ præceſſerint ſigna qualia ſolent exhibere; obeſa corporis conſtitutio, venerea lues prægreſſa, & malè vel nullo modo curata, tumoris diuturna indolentia, &c. hinc nec levi forſan conjecturâ judicare poſſumus tumorem illum à congeſtâ & inſpiſſatâ lymphâ natales duxiſſe. 2°. Si tumorem citatum anteceſſerint uteri phlogoſes, aut inflammationes, vaſorum ſanguineorum irritationes, compreſſiones, aut diſtractiones; inſpiſſatæ & induratæ ſanguinis feces, in ipſis ſanguiferis vaſis deliteſcentes, & in motum quomodocumque agitatæ, pro cauſis, accuſandæ ſunt. 3°. Si invetera-

tam, veneream, ſcorbuticam aut ſcrophuloſam luem ſubſequatur tumor uteri cancroſus, aut ſi diuturniorem triſtitiam, internum aut externum quoddam ulcus, bilioſamve aut aridam, acremque corporis conſtitutionem conſequatur, aut concomitetur, ſignum eſt tumorem illum pendere non ſolùm ab humorum ſpiſſitudine, ſed etiam ab eorumdem acrimoniâ. 4°. Et illud probè notandum eſt, quod nempe vitium lymphæ, aut lymphaticorum vaſorum, ſanguinis & quoque in propriis vaſculis; ſicut & cruoris in propriis canaliculis, vitium, circulantis per lymphatica uteri vaſa, roris lymphatici labem haud raró inducat; vel, quod idem eſt, turgida uteri lymphatica vaſcula ſanguineos per viciniam reptantes ductus comprimunt, & viciſſim à repletis cruoris vaſis lymphatica comprimuntur incernicula.

PROGNOSIS.

Cancroſus uteri tumor morbus eſt moleſtus admodum, ſœpè cænoſus, plerumque morte ſolâ terminandus. Hujus aſſertionis veritas, experimentis nimirum nimis frequentibus innixa, demonſtratione licet nulla videatur indi-

gere; interim tamen majoris claritatis causâ singula propositionis membra, & percurrere, & demonstrare, operæ pretium judicamus.

1°. Itaque, quid humanum corpus magis solet molestare? omne haud dubiè illud, quod non tantùm ingratam, sed & dolorificam quoque excitat, perpetuò sensationem; verum cancrosi uteri tumoris dolor, isque lancinans vel deurens, verbo gravis comes est individuus. Ergo morbus molestus admodum semper censendus est.

2°. Ex ulcerato uteri cancroso tumore effunditur liquor putridus, graveolens & ichorosus, quo pudenda, femorum interiora præsertim, & indusium perpetuò defœdari solent; ergo tumor cancrosus uteri præsertim ulceratus, morbus est sæpè cœnosus.

3°. Tumor etiam skirrhosus, quem attingere nequit chirurgica manus, præsertim si confirmatus est, insanabilis est: huic itaque dum conjungitur continuus dolor, quo & febris accenditur & digestio pervertitur, & somnus præpeditur, & nutritio depravatur, & imminuuntur secretiones; &, verbo dicam, functiones pene omnes labefactantur; num gratiùs quidpiam expectare licet? Minimè

quidem, ex adverſo ultima ægrotantis dies citiùs expectanda eſt. Tumor itaque cancroſus uteri ſola morte plerumque terminandus eſt; dixi plerumque, tum quia varii practici ſe tumores cancroſos præcipuè incipientes curaſſe teſtantur, tum quia noſmetipſi talem tumorem, aut tumorem ſaltem cancroſum ſatis aptè repræſentantem, unum ſcilicet in collo, alterum in utero, à menſium ſuppreſſione utrumque pendentem ſanavimus, ut patet ex iis, quæ ſupra diximus dum de menſium ſuppreſſione; ſed credimus bonâ fide laudatos jam tumores verè cancroſos non extitiſſe, licet durities, renitentia & dolor, deprehenſa fuere; ſed partium vicinarum tantùm phlogoſim ſimulatæ duritiei contiguarum partium conjunctam fuiſſe.

Verùm hæc licet jam confirmata prognoſis vera ſit, quadantenus tamen poteſt variare juxta diverſas circumſtantias. Et 1°. quidem ſi aliqua efficax ſit curandi methodus, dum morbus recens eſt, magis, dum inveteratus minùs competit. 2°. Dum cancroſus uteri tumor ulceratus eſt, vehementiora evadunt ſymptomata, marceſcunt nimirum citiùs partes, lenta febris notabilis magis eſt, &c. Dum verò occultus eſt tumor idem, lentiori

gressu accedunt symptomata; prior itaque species posteriori magis periculosa est. 3°. Prout major vel minor urget symptomatum caterva, eo magis vel minus periculosus est tumor ille; hinc simplex, composito tumore cancroso, minùs periculosus. 4°. Dum à solius lymphæ vitio, minus; dum verò & à lymphæ, & aliorum liquorum perversâ crasi proficiscitur, magis periculosus est tumor ille.

Verùm tametsi pervertatur omnium humorum crasis, & quod labes illa suppressis evacuationibus debeatur, incantamenti aliquando ad instar curatur morbus ille; restitutâ nimirum evacuatione, vel naturali, vel habituali, ut patet ex iis, quæ supra notavimus dum de mensium suppressione sermo erat.

Curatio.

Tumor licet cancrosus uteri, sicut & aliarum partium morbi, geminas exhibeat indicationes curatorias, doloris nimirum ablationem sive cessationem; & liquidi contenti inspissatique, tumorem efformantis, mollitiem & dissipationem; nihilominùs tamen experientiâ dum constet fermè constanti cancrosos præ-

ſertim internos tumores arte nullâ radicitus ſanari, prophylacticis tantum remediis, quibus ſcilicet mitigantur morbi ſymptomata, & illius retardantur progreſſus, utendum eſt.

Verùm cum non rarò accidat, ut tumor uteri cancroſus, aut ſaltem tumor cancrum verè æmulans aliquando ſanetur præſertim cum ab hæmorrhoïdibus, aut catameniis ſuppreſſis immediate ſoboleſcit, aut ab aliis cauſis non minùs evidentibus, prudentis medici officium eſt, cauſæ morbi debellandæ adaptata præſcribere remedia; ſic hirudinibus aperienda ſunt vaſa hæmorrhoïdalia, ſic mitiorum aperientium ope reſtituendæ ſunt naturales & requiſitæ evacuationes uterinæ. Idem, paucis mutandis, dicendum de aliis cauſis morbum producentibus.

Exceptis tamen talibus vel parum abſimilibus hujus morbi caſibus; palliativis, ut dictum eſt, remediis utendum eſt.

Quapropter inſtituenda eſt diæta humectans & refrigerans. Veſcatur ægra offis, panatellis, ovis ſorbilibus, cremoribus hordei, oryzæ, carnibus non ſalitis, levi operâ digerendis, &c. abſtineat ab alimentis piperatis, ſalſis, craſ-

ſis, terrenis, farinaceis, &c. Pro potu ordinario inſtituatur ptiſana ſequens vel conſimilis.

℞. Radicum fragariæ, & nymphææ ana ℥ij. foliorum malvæ & capillorum veneris ana m. j. coque leviter in aquæ fontanæ ℔iv. ad quartæ partis conſumptionem. Sub finem coctionis infunde florum violarum aut malvæ m. ß. coletur & ſervetur ad uſum.

Sic præſcriptâ convenienti diætâ, modò ægrotantis vires vegetæ ſatis fuerint, inſtituenda eſt venæ brachialis ſectio, ex qua educendæ ſunt, aliquæ ſanguinis unciæ pauciores vel plures pro medici prudentiâ.

Alterâ à venæ ſectione die, purgans medicamen præſcribendum eſt, ſed ſemper leniens, ne accerſatur orgaſmicus ſanguinis motus, quo morbi ſymptomata cum peſſimis ægrotantis rebus, non rarò intenduntur.

℞. Mannæ electæ & pulpæ caſſiæ recentis ana ʒj. diſſolve in decocti papaveris rheados ℥vj. fiat potio mane ſumenda.

Poſtea ſumat ægra manè jejuno ventriculo ſequens juſculum continuando per duodecim dies.

℞. Foliorum acetoſæ & portulacæ ana miß. florum bugloſſi & papaveris rheados ana p. ij. coque cum pullo juniori, vel fruſtulo carnis vitulinæ non adipoſæ : fiat juſculum.

Finito juſculorum uſu, purgandum eſt corpus ut antea vel clyſteribus refrigerantibus, & catharticis, qualis eſt ſequens.

℞. Hordei integri p. i. foliorum lactucæ & cichorei ana m. j. ſeminis lini ʒij. coque ad ℥x. in colatura diſſolve pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥ij. fiat clyſter.

Dein præſcribendus eſt lactis ebutyrati uſus per novem dies ſumendi, in cujus primo cochleari propinandus eſt ſequens pulvis cum lacte ſemper continuandus.

℞. Tartari chalybeati gr. x. oculorum cancrorum fluviatilium, & corallorum præparatorum ana gr. xij. ſalis tamariſci & Saturni ana gr. vj. fiat pulvis.

Hujus lactis ebutyrati usui succedat blanda catharsis.

Dein lac asininum manè sumendum est per mensem unum aut alterum, cum vaccino, semper cocto, pro prandio & cæna cum vel sine pulveribus stomachicis ut medico visum fuerit.

Lac & quoque chalybeatum sæpè convenit, si non sanando, saltem mitigando, uteri cancroso tumori. Narcotica & quoque sub diversis formulis præscribenda requisitam & optatam producunt quietem.

Præscriptæ jam generalis therapeiæ calci, nonnulla, notatu forsan non penitùs indigna juvat adjungere. Et,

1°. Quidem licet methodus illa binæ competat cancrosi tumoris speciei, altera & quoque illi jungenda est, dum scilicet tumor ille ulceratus est, detergenda sunt tumoris labra, hinc injectionum variarum necessitas, quæ conficiuntur juxta prudentiam medici, ex variis medicaminum speciebus, ex lacte nimirum recenti cum saccharo, ex decocto hordei cum melle rosaceo, ex decocto herbarum vulnerariarum, ex aquis Ballerucanis, ex aquis Baregensibus, ex decocto absinthii minoris, aut aristolochiæ longæ & ro-

tundæ, vel tandem ſi urgeat ardor & pruritus; ex decoctis capitibus papaveris albi, ex decocto malvæ, aut althææ, &c.

2°. Niſi rigeat hyems, vel labes cæteris corporis partibus communicetur, pulmonibus v. g. aliiſve vel urgeant cacochymiæ aut hydropis ſymptomata; domeſtica maximè conveniunt balnea, ſicut, & aquæ minerales frigidæ, imò & paululum chalybeatæ.

3°. Morbus ille chronicus eſt, & contumax, prælaudata itaque remedia non ſemel, ſed ſæpè ſunt in uſum vocanda.

4°. Quæ præſcripſimus remediorum genera mutanda meritò relinquimus medicorum prudentiæ ob ætatis, temperamenti, conſuetudinis, aut imaginationis forſan ægrarum differentias.

5°. Miſeræ ſorti nunquam relinquendæ ſunt ægrotantes, ſed ex adverſo medici verè chriſtiani auxilia ſunt ſemper offerenda: hæc injungit impar ejus officium; ſollicitat ægrarum cujuſcumque conditionis miſeria; determinat tandem morbi illius, rarus licet, felix eventus.



CAPUT VIII.

De Passione hysterica. Morbi descriptio & definitio.

SI consideretur passio hysterica juxta diversos illius gradus, quamplurima quidem, ne dicam, infinita prope modum symptomata solet comprehendere.

1°. Etenim in teniori illius gradu hæc frequenter observantur symptomata, succussiones capitis vertiginosæ, faciei pallor, aliquale extremorum frigus, oscitationes, suspiria, ructus, nauseæ, abdominis inflationes, ineptitudo aliqualis ad incessum; vel incessus solito minùs stabilis, sudores frigidiusculi, animi deliquia, debilitas pulsûs, subitanei, præsertim post pastum, faciei calores, flammeique rubores, &c.

2°. In periodo hujus morbi secundâ citata jam symptomata intenduntur, & alia illis quidem graviora ægras invadunt, cordis nimirùm palpitatio, strangulatoria spirandi difficultas, ascensus per abdominis longitudinem globosæ

molis, artuum tremores aut retra ctio nes involuntariæ, &c.

3°. Intenduntur & quoque recensita jamjam symptomata accedente tertio morbi gradu, illamque intensionem, immediatè non rarò subsequuntur alia cæteris omnibus gravissima, maximè nimirum notabilis mentis perturbatio, convulsivi motus, ad incessum ineptitudo realis, summè notabilis pulsûs imminutio, quibus proximè succedunt, in sensu saltem medico, & pulsûs & sensûs, & motûs privatio, seu abolitio; ab his omnibus sæpiùs recurrentibus redux ægra incidit non rarò aut in paralysim, epilepsiam, apoplexiam, hydropem, inveteratos sκirrhos, asthma, &c. sed posteriora hæc mala tanquam morbi consectaria spectanda sunt.

Ut itaque jam vera tradatur morbi definitio, quid agendum? hoc quidem laboriosum est: interim tamen, dicimus, quod si alterutri, vel utrique, jam superiùs examinatæ speciei passionis hystericæ, symptomatibus jungere volueris, statim quasi accedentis mortis timorem, singulis morbis gradibus, familiarem, imò essentialem si excipiamus tempus illud, quo mens judicare nequit, veram, vel gradûs cujuscumque in particulari, vel om-

nium ſimul, definitionem habebis. Hanc, tanquam praxi medicæ, conformem magis, conjicimus definitionem : ſi verò logicæ regulis minùs judicent alii, illam corrigant, vel aliam breviorem clarioremque afferant & illi ſubſtituant.

MORBI DIFFERENTIÆ.

A diverſo fonte, paſſionis hyſtericæ, deduci poſſunt differentiæ; à variis ſcilicet morbi typis, variiſve gradibus, à diverſo invadendi modo, à duratione diverſâ, à ſedis diverſitate, ab originis denominatione, & tandem à cauſarum varietate.

1°. Namque triplex obſervatur, ut ſupra dictum eſt, paſſionis hyſtericæ gradus, primus in quo lenia ſunt ſymptomata, ſuccuſſiones ſcilicet capitis vertiginoſæ, faciei pallor, extremorum frigus, &c. Inſigniatur illa ſpecies, hyſtericus vapor, vel ut vult vulgus, vapores hyſterici. Secundus in quo prioris gradus ſymptomata intenduntur, & alia accedunt præcedentibus graviora, cordis v. g. palpitatio, anheloſa reſpiratio, aſcenſus globi per abdomen, &c. hanc ſpeciem juvat vocare hyſtericam paſſionem propriè dictam. Tertius demum in quo non ſolùm

apparent repetita jam ſymptomata graviora; ſed & quoque accedit ſenſûs & motûs præſertim voluntarii abolitio. Hanc vocamus ſpeciem paſſionem hyſtericam ſoporoſam.

2°. Frequenti conſtat experientiâ, ſingulas jamjam exaratas paſſionis hyſtericæ ſpecies, non eodem ſemper modo; ſed diverſo prorsùs ordine ægras, præſertim diverſas invadere: nam nunc à capite exordium ducunt ſymptomata ut patet ex pulſatione carotidum externarum, ex gravitate capitis, ex ejus ſuccuſſionibus, ex visûs obtenebratione; nunc verò primo à pectore ſoboleſcunt, ut patet ex difficili reſpiratione, ex debilitate pulsûs, animi deliquio, vel palpitatione cordis, &c. aliquando prima monſtrant ſui indicia in ventriculo, teſtantibus nauſeâ, vomitu, cardialgiâ, ructibus, &c. Non rarò in aliis viſceribus abdominis quod probant hypochondriorum inflationes, hypogaſtricæ regionis tumor, uteri retractiones, borborygmi, flatuum per inferiora eruptio, molis globoſæ aſcenſus, &c. Tandem ſæpè incipiunt morbi ſymptomata, ab artubus, ut patet ex eorum tremore, motibus involuntariis, aura frigida niſu gradario ab inferioribus ad ſuperiora tendente, &c. Hinc ſane toti-

dem hyſtericæ paſſionis ſpecies, juxta diverſum invaſionis modum.

3°. Nemini ignotum eſt paſſionem hyſtericam vel à brevi tantum temporis ſpatio, vel à plurimorum menſium imò & aliquando ab annorum ſerie, ægras invaſiſſe. Hinc prior ſpecies dicitur recens, poſterior inveterata paſſio hyſterica.

4°. Bifariam conſiderari poteſt hic morbus, ſcilicet vel juxta actualem illius inſultum, vel juxta illius invaſionem; in priori caſu ſedes eſt in toto corpore, nulla enim vel fere nulla illius pars deſignari poteſt, quæ non patiatur: in poſteriori verò caſu nunc caput, nunc pectus, &c. afficitur: hinc illius diviſio, in ſenſu jam allato, in univerſalem & particularem.

5°. Hoc morbo diù laborantium parentum proles vel ſine ullâ aliâ, notabili, ſaltem causâ, vel abſque tali parentum labe quacumque, temporis ſucceſſu afficitur. Prior ſpecies paſſio hyſterica hæreditaria; poſterior adventitia nominari ſolet penes originem.

6°. Statim videbimus quod ſi generales nonnullæ corporis partes ſufficienter irritentur, obſtruantur, comprimantur, exſiccentur, inde hyſtericam paſſionem brevi ſucceſſuram eſſe; non mirum itaque

ſi ratione cauſarum, diverſæ illius morbi ſpecies ſint admittendæ.

CAUSÆ.

Non immorabimur in refutandis variorum auctorum ſententiis, diverſas paſſionis hiſtericæ cauſas aſſignantium: ſi enim & rationi, & experientiæ conſona magis fuerit ea quam ſtatim admittimus, cæteræ ſine dubio ex ſe ruent, vel ſaltem illis, noſtra videbitur præferenda. Ut itaque illius veritas appareat; liceat propoſitiones nonnullas præmittere, quarum vis & energia omnibus ferè practicis nota eſt.

PROPOSITIO PRIMA.

In aliqua licet corporis parte peculiari incipiat hujus morbi tragædia, accedente vero illius inſultu, immunis nulla, vel fere nulla corporis pars deprehenditur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Nullus eſt paſſionis hyſtericæ ſtatus (ſi excipiamus hyſtericam ſoporoſam) cui non jungatur ſtatim quaſi accedentis timor mortis.

PROPOSITIO TERTIA.

Dum recens eſt paſſio hyſterica, nec notæ corporis labi ſuccedit, finito ſemel illius inſultu, aut paroxyſmo, functiones omnes ut par eſt, exercentur, perficitur namque digeſtio, viget pulſus, peragitur nutritionis opus, apparet nativus color, juxta conſuetum modum imaginatur & judicat anima, &c.

Ex his propoſitionibus, liceat non nullas deducere conſequentias, quæ pro totidem corollariis habendæ ſunt.

1°. Itaque dum paſſio hyſterica confirmata eſt, afficiuntur partes per totum corpus diſperſæ, ut patet ex propoſitione primâ.

2°. Omnibus ferè paſſionis hyſtericæ ſpeciebus, familiaris eſt mortis brevi accedentis timor; ergo organa ſenſui, motui, verbo, vitæ munia afficiuntur.

3°. Primario ſaltem nec afficiuntur digeſtionis, nec ſanguificationis, &c. organa. Ergo concludendum eſt, generis nervoſi, quod per totum corpus diſtribuitur, quod ſenſui & motui præeſt, quod, verum vitæ nuncium eſt, vitium, cauſam eſſe hujus morbi proximam.

Vitium illud in nervorum ſiccitatem & debilitatem refundimus; ex tali enim nervorum labe deduci poſſunt eſſentialia hyſtericæ paſſionis ſymptomata, ut infra videbimus, & remedia, tali vitio debellando, apta, congrua magis demonſtrabuntur.

Cauſæ itaque ſiccitatem & debilitatem nervorum inducentes, remotæ erunt paſſionis hyſtericæ cauſæ.

Multiplici autem modo ſicceſcunt, & ſimul debilitantur nervi: dum nempe nervoſa fluida inſpiſſata ſunt, dum nervi comprimuntur, obſtruuntur, dum liquida ſemel ingreſſa titillant, & irritant nimis, & demum dum nervoſum genus ſubitaneos, & violentos, vel gradarios ſed ſolito frequentiores patitur ſuccuſſus, &c. Hinc vita nimis ſedentaria, alimenta acida, vel levi de cauſâ aceſcentia, tumores varii, liquidorum craſſities, eorumdem acrimonia & ſalſedo, ſubitanei pavores, caſus ab alto, meditationes profundæ, amoris ærumnæ, &c. pro cauſis remotis habenda ſunt.

Cauſæ aliæ omnibus ferè ſatis notæ jam recenſitas fovent producuntve.

Porrò acriora, ut dictum eſt, liquida retenta, maſſæque humorum iterùm communicata, in nervorum fibrillas arie-

tantia hunc producunt morbum, & in illo sensu, seminalia mulierum ergastula obstructa, obstructive tubuli menstruationi dicati, tanquam remotæ causæ non raro spectanda sunt.

SYMPTOMATA.

Tædiosum sanè foret, singulorum, hystericam passionem, aut concomitantium, aut subsequentium symptomatum, explicationem aggredi: quapropter, nonnulla tantùm & præsertim frequentiora hujus morbi symptomata juvat, & breviori verborum apparatu, explicare. 1°. Itaque dum incipit passio hæc hysterica, & nervosa siccescunt filamenta, sucussiones percipiuntur præprimis ut plurimum in regione corporis superiori, vel quia sensationes omnes ibidem naturaliter terminantur, vel quia à continuata corporis motione perpendiculari, & nativo pondere, partis superioris nervi magis distrahuntur; hinc succussiones capitis aliquando vertiginosæ, & ex illis, sanguiferorum tubulorum, compressiones variæ, præsertim in partibus vicinis; hinc 1°. faciei pallor, inde præpeditus sanguinis circuitus, in locis præcipuè à corde magis dissitis; unde 2°. extremorum frigus.

Ex

Ex eodem fonte fit liquorum ſtaſis ; unde 3°. oſcitationes & ſuſpiria ventriculi & inteſtinorum fibrillæ nervoſæ in conſenſum trahuntur ; hinc pravæ digeſtiones ; & inde 4°. Ructus , nauſeæ & inflationes abdominis. Labes eadem vel nervoſis articulorum tubulis communicatur , vel affecto ſemel capite , mens nequit regere ; & hinc 5°. aut ſeceſſus ſolito difficilior , aut omnimodè quaſi interruptus. Ex multiplici vaſorum criſpatura & compreſſione , ſoboleſcunt 6°. ſudores frigidi , animi deliquia , & pulsûs debilitas. Ex ſiccitate nervorum faciem perreptantium , indeque facilè movendorum ; vel ex miſcela chyli cum ſanguine , vaſa interrupta fortiùs movente , vel demum ex oſcillatione majori fibrillarum nervoſarum ventriculi , & inteſtinorum oritur 7°. paulò poſt paſtum faciei calor , rubor , &c.

2°. Temporis ſucceſſu ingraveſcit malum , magis itaque ſiccæ & debiles evadunt fibrillæ nervoſæ:hinc 1° ſymptomatum jam explicatorum incommoda ingraveſcunt. Præterea aliarum partium nervi validè ſuccutiuntur , criſpantur , rigeſcunt , ſi in vaſis , ventriculis cordis , vicinis , fit 2°. cordis palpitatio ; ſi in nervoſis filamentis laryngem perreptan-

tibus, fit 3°. ſtrangulatoria reſpiratio; ſi in uteri, inteſtinorum & ventriculi nervoſis propaginibus, deprehenditur 4°. globoſæ molis per abdominis longitudinem, aſcenſus; & tandem ſi ſic afficiantur nervi artubus proſpicientes, illarum partium tremores, aut convulſiones 5° conſpiciuntur.

3°. Perſeverante, & ſæpiùs recurrente eadem nervorum labe, recenſita & quoque jam ſymptomata ſæviùs ægras affligere 1°. neceſſum eſt. Corporis partium nervi vel ſæpiùs, aut fortiùs vibrantur, vibrationes illæ ſæpiùs aut fortiùs cerebro communicantur, vel ipſiuſmet cerebri fibrillæ nerveæ immediatè afficiuntur. Hinc 2°. mentis perturbatio, convulſivi motus, & ad inceſſum ineptitudo. Criſpentur eadem lege vel cordis vel arteriarum fibræ nervoſæ: hinc 3°. pulsûs aut abolitio aut notabilis imminutio. Afficiantur eodem modo muſculorum nervi; hinc 4°. motûs & ſensûs vel privatio, vel abolitio. Augeantur dictæ nervorum indiſpoſitiones in diverſis partibus muſculoſis v. g. aut cerebroſis, aut in poſterioribus hiſce agant inæqualiter, & vividè: hinc 5°. paralyſis, apoplexia, aut epilepſia, &c. Tandem ex vaſorum criſ-

paturâ, humorum ſtaſi, & eorumdem ſiccitate, vel ſpiſſitudine naſcuntur 6°. hydropes, ſκirrhi, aſthma, &c.

Demum quod ſpectat formidinem mortis brevi accedentis (quæ quidem tanquam individuus ferè, hujus morbi comes, ſpectanda eſt) partim naturalis, partim melancholica eſt: naturalis, quia dum ſuperiùs memorata hujus morbi ſymptomata, prima ſui præbent ſpecimina, violentas & inaſſuetas patitur ſucuſſiones totum nervoſum genus, labefactantur ſenſus, & motus in quorum exercitio materialis vita conſiſtere videtur; unde individui deſtructionem brevi acceſſuram timere naturale eſt. Verùm dum ſæpè recurrunt & identidem ceſſant, aut ad ſenſum miteſcunt laudata ſymptomata & tum animi, tum corporis munia ritè perficiuntur (quod quidem probat ſolos immediate affici nervos) mortem quaſi brevi accedentem repræſentare aut judicare, melancholiam ſapit.

DIAGNOSIS.

Signa licet paſſionis hyſtericæ diagnoſtica ex ſupra dictis in deſcriptione, differentiis & cauſis, non incongruè deſumantur, illius tamen diagnoſim ulteriùs perſcrutari, non inutile prorsùs judicamus.

1°. Distinguenda est ab omnibus aliis morbis, cum quibus symptomata non pauca habet communia, & ut hoc ordine requisito procedat, percurrendi sunt sed breviter tres hujus morbi gradus. In priori autem gradu, morbus ille ab aliis, vix per se distingui potest à nervorum scilicet tremore, animi deliquio, &c. Verùm morbus ille sæpiùs recurrens sine causa manifesta mortis formidinem habens conjunctam, molis globosæ ascensu per abdominis longitudinem clarè determinat illius naturam, distinguitque symptomata illa verè hysterica à simplicibus musculorum tremoribus, capitis succussionibus, animi deliquiis, &c.

Hæc & quoque jam recensita symptomata, hystericæ passioni propria, illam distingunt à palpitatione cordis, à difficultate respirandi, &c. quæ in secundo hujus affectûs gradu solent apparere. Jam videamus quomodo distinguatur tertius illius gradus in quo aboletur, aut saltem imminuitur maximè pulsus, sensus, & motus, &c. ab aliis affectibus in quibus consimilia deprehenduntur signa, ut v. g. in apoplexia, syncope, epilepsia, affectione hypochondriaca, &c.

Et quidem præterquàm quod hysteriæ

natura hactenus nota fuerit medico & aſtantibus, & inde ab aliis quibuſcumque diſtinguatur morbis 1°. ab apoplexia per convulſiones, quæ in ſimplici apoplexia nunquam, in hyſterica paſſione ſemper magis, vel minùs notabiles ſolent obſervari. 2°. Hyſteriam diſtingues à ſyncope; in ſyncope enim pulſus primò deficit: in hyſterica paſſione licet imminuatur, plerumque perſentitur; in ſyncope lividus fit faciei color & ſudor eſt frigidus: in hyſterica verò paſſione, facies pallet tantùm, & nullus vel paucus eſt ſudor. 3°. Tametſi confundi poſſit juxta obvia ſymptomata, cum epilepſia, ab ea tamen diſtingui poteſt non ſolùm per prægreſſa, ſed & etiam quia ſopor profundus eſt in epilepſia, & geſtarum in inſultu rerum obliviſcuntur ægrotantes: hyſtericarum verò ſopor, pro momento ſaltem cedit clamoribus, &c. & geſta in inſultu recordantur; prætereà frequens ſpuma in epilepticarum, rarò aut nunquam in hyſtericarum mulierum ore apparet. 4°. Ut diſtinguatur morbus hic ab affectione hypochondriaca, ſciendum eſt priorem mulieribus, poſteriorem verò morbum viris magis familiarem eſſe; prætereà habito reſpectu ad ſedem, in mulieribus pars

affecta eſt ſæpè uterus, in viris verò abdominis viſcera. Quoad cætera, ſymptomata quidem non rarò eadem ſunt. Bis enim ſuprà obſervavimus, præter ſigna utrique morbo communia, aſcenſum globoſæ molis per totam abdominis longitudinem.

2°. Diſtinguendæ ſunt diverſæ paſſionis hyſtericæ differentiæ, & ſanè ea, quæ ſupra dicta ſunt, dum de differentiis hujus morbi ſermo erat, ſufficiunt ad diſtinguendos tres paſſionis hyſtericæ gradus.

3°. Diverſi & quoque invaſionis modi deprehendi poſſunt, ex iis, quæ diximus ſuperiùs.

4°. Recens vel inveterata hyſteria ex ſupra notatis, imò & per ſe patet.

5°. Si in inſultu conſideretur morbus ille, univerſale: ſi in initio, particulare nervorum genus accuſandum eſt.

6°. Dum à parentibus tali labe affectis, proli communicatur abſque cauſa de novo adveniente, morbus ſpectatur hæreditarius: adventitius verò ex adverſo.

7°. Tandem quod ſpectat diverſas cauſas, hæ per conjecturas ſatis probabiles dignoſcuntur: ſic v. g. ſi viduis aut virginibus alioquin caſtiſſimis ſuperveniat, ſine ulla alia cauſa notabili, paſſio hyſte-

rica, uterus ſedes eſt morbi; & cauſa, eſt ergaſtulorum ſeminalium repletio. 2°. Si hunc morbum antecedant notæ uteri obſtructiones, skirrhoſi e. g. tumores cancroſi, aliique, quibus ſiſtitur menſtrualis purgatio, uterus quidem morbi ſedes eſt, & cauſa obſtructio. 3°. Si ſuperveniat morbus laborioſo partui in quo uteri tunicæ diſtrahuntur, vaſorum uterinorum anguſtia & diſtractio pro cauſa accuſandæ ſunt. Talem non ita pridem obſervavimus vaporem hyſtericum maximè contumacem, ab uteri prolapſu, poſt partum difficilem oriundum. 4°. Hyſterica paſſio, quæ mulieribus accidit, dum ætatis ratione menſtrua non patiuntur, vaſorum uterinorum ſubſidentia & ſiccitas cauſa eſt. 5°. Si verò uteri munia ritè perficiantur dum apparent hujus affectûs ſymptomata, non magis uteri, quàm aliarum partium aut viſcerum nervi accuſandi ſunt. 6°. Si incautè ſupprimatur in mulieribus evacuatio aliqua naturalis, vel habitualis, & poſteà ſuccedat hyſteria, redundans humor qualiſcumque cauſa erit morbi medica.

7°. Præтereà ſi nervorum faſciculi ab ulcere, abſceſſu, vel tumore comprimantur, & inde ſubſequatur hyſterica paſſio,

pro cauſa, habenda eſt nervorum compreſſio; interim tamen ſerum in cerebro collectum, ovariorum putredo, aliorumque viſcerum vitia, licet in hyſtericarum mulierum cadaveribus deprehendantur, & morbum primariò valeant producere, morbi ſæpè ſunt effectus & non cauſæ.

PROGNOSIS.

Varii ſunt hyſtericæ paſſionis eventus, & inde varia inſtituenda ſunt præſagia, ex multiplici capite deſumenda, nam ſi hactenus enumeratos hujus morbi gradus conſideremus, ſciendum in genere.

1°. Hyſtericæ paſſionis gradum primum ſive vaporem hyſtericum, in quo mitiſſima ſunt ſymptomata (ſi duo alii ſpectentur gradus) cæteris minus periculoſum eſſe. Eâdem ratione patet gradum ſecundum, tertio minus periculoſum eſſe; tertius enim gradus ſæviſſimus & periculoſiſſimus eſt, non tantùm ſi ad cæteros habeatur reſpectus, ſed & etiam quia principalia vitæ munia labefactantur, imò & haud raro officioſa nimis medicorum auxilia, ignotâ ſæpè morbi naturâ, mortem accerſunt, vel oppreſſam tàntùm naturam cum morte turpiter confundunt, medicorum aut aſtantium incuriâ.

Præterea morbus ex natura ſua plerumque longus eſt, & curatu difficilis : genus enim nervoſum ſemel affectum curationem ægrè admittit.

2°. Si habeatur variarum hujus morbi ſpecierum ratio, multifariàm varianda eſt illius prognoſis : ſic recens paſſio hyſterica, inveteratâ, cæteris paribus & minùs periculoſa & curatu facilior eſt.

3°. Extra paroxyſmum licet languidè exerceantur variæ functiones, & mortis idea ſemper præſens ſit, minùs tamen periclitatur vita, quàm cùm accedit inſultus hyſtericus : in ultima enim hacce ſpecie, organa vitæ conſervandæ abſolutè neceſſaria notabiliter afficiuntur. Hinc longè majus periculum, imò & aliquando ſubitanea mors, vel ſaltem morbi plerumque incurabiles ſubſequuntur.

4°. Paſſio hyſterica adventitia, hæreditariâ per ſe minùs periculoſa eſt, & faciliùs curatur : raró enim ſanantur hæreditarii morbi qualeſcumque ſint ; nec mirum, cùm inſita ſit labes aut liquidis primariis, aut ſtaminibus primigeniis vulgò dictis, aut utriſque ſimul ; & hinc eradicatio mali difficilior, & periculoſiora magis ſymptomata.

5°. Variat & quoque prognoſis ratione

variarum causarum hysteriam producentium; nam dum producitur v. g. ab obstructionibus nervorum, difficilè curatur, quia remedia nervos subire vel nequeunt vel ægrè possunt : pro majori itaque vel minori obstructionum intensione majus vel minus periculum est. Eodem planè modo ratiocinandum est de hysterica passione inducta à gradibus diversis distractionum, & compressionum, quibus nervosum genus affici solemne est. Ab inveteratis & confirmatis concretionibus σκirrhosis oriunda passio hysterica lethalis est; lethalis & quoque, vel saltem curatu difficilis est species illa, quæ ab immedicabili prolapsu uteri sobolescit; ex adverso, dum nec inveteratæ sunt obstructiones, nec adhuc dum σκirrhosæ, morbus sanari potest. Idem dicendum de distractionibus diversis.

6°. Tandem minus in genere portendit periculum species illa hysteriæ, quæ consequitur naturalem menstruorum suppressionem, quàm illa, quæ ab eorumdem præternaturali abolitione, aut notabili imminutione solet pendere : in priori enim casu, minor; in posteriori, major humorum redundantia. Brevitatis causa cæteras juvat silentio prætermittere hujus

differentias prognosticas, à prudenti practico variè desumendas.

CURATIO.

Non minus hypochondriaca in viris quàm hysterica passio in mulieribus medicorum flagellum est. Medicamina enim cujuscumque fuerint generis vel nullo modo, vel rarò, vel tardè admodum optatos obtinent fines. Nihilominùs tamen præcepta quædam instituenda sunt, quibus vel sedari, vel profligari potest passio hysterica. Hinc diversos peragrare juvat gradus hystericæ passionis superiùs determinatos, & remedia utrique gradui mitigando, vel sanando determinare.

1°. Itaque ubi vapores sunt tantùm hysterici, vel in primo hujus morbi gradu, in quo & leviora sunt symptomata, & numero pauciora, & vitæ periculum minus minantur, pauciora & quoque instituenda sunt remedia. Verùm ex illis alia sunt suadenda in paroxysmo, extra paroxysmum alia.

In paroxysmo, aëri liberiori, magis elastico & mediocriter frigido, exponenda est ægra, convellendi sunt capilli, aqua frigida in faciem projicienda, spi-

rituum urinoſorum vapores naribus apponendi, extrema frigida linteolis calefacienda, &c. & ſi perſeveret animi deliquium, levia cardiaca ſunt adhibenda.

Extra paroxyſmum lenia ſunt præſcribenda cathartica, non ut cauſa morbi evacuetur, ut aliqui contendunt, ſed ut latens ſaburra, morbi effectus tollatur, ut præſcribenda remedia optatos attingant fines.

℞. Sennæ mundatæ & rhei electi ʒj. ſal. chamædryos gr.xv. ſummitatum hyperici, & centaurei minoris ana p. j. coque in aquæ fontis ſ. q. in colaturæ & expreſſionis ℥vj. diſſolve mannæ calabrinæ ℥iß. fiat potio.

Alterâ à purgatione die, ſumat ægra mane jejuno ventriculo juſculum ſequens, continuando per duodecim dies aut circiter,

℞. Pullum juniorem gallinaceum, cujus venter replebitur hordei mundati mß. ſeminum quatuor frigidorum majorum mundatorum ℥ß. Coque in ſ. q. aquæ fontanæ per horas quatuor: ſub finem coctionis adde foliorum

pimpinellæ, beccabungæ & fumariæ ana m. ß. coque omnia per horam integram: coletur, fiat juſculum.

Finito juſculorum uſu, & purgato, ut ſupra, corpore, vel clyſteris laxantis, refrigerantis & leniter purgantis ope, qualis eſt ſequens.

℞. Foliorum mercurialis, brancæ urſinæ & chamæmeli ana m. j. coque in ſ. q. aquæ, colaturæ ℥x. diſſolve catholici pro ore ℥iß. fiat clyſter injiciendus horâ commodâ.

Præſcribatur aquarum leniter mineralium uſus per decem dies continuandus & juxta conſuetam doſim, ſi anni tempeſtas ſat calida eſt, alioquin doſis imminuenda eſt, & aquæ ipſæmet ſunt calefaciendæ, ſi rigeat hyemale tempus.

Poſt aquarum uſum alvus laxanda eſt iterum clyſteribus, & tunc gradario paſſu ad lacticinia deveniendum eſt, & uſus lactis continuandus per duos vel tres menſes; & dein ſi faveat tempeſtatis calor, ad balnea domeſtica recurrendum eſt, continuanda per quindecim dies.

In exitu è balneo ſumat ægra juſculum pulli junioris foliis naſturtii aquatici, ci-

chorei ſylveſtris, & boraginis alteratum.

In ſecundo hujus morbi gradu, vel in hyſterica paſſione propriè dicta, urgente paroxyſmo, auxilia ſuperiùs indigitata in primo gradu, ſed paulò fortiora, inſtituenda ſunt, & præter illa, inſtante gravi difficultate reſpirandi, vena ſecanda, ni renuat vera pulsûs debilitas. Convenit & quoque ſequens potio alterans cochleatim ſumenda,

℞. Aquarum meliſſæ & matricariæ ana ℥iij. confectionis de hyacintho ʒj. pulveris viperini ʒß. ſalis tamariſci. gr. xij. caſtorei gr. vj. aquæ cinnamomi ʒij. fiat potio.

Proſunt & quoque clyſteres laxantes, & purgantes, prioribus non abſimiles.

Extra quoque paroxyſmum, ſuperiùs præſcripta competunt remedia & alia validiora ſubminiſtranda; ſic juſculis præſcriptis addenda ſunt cancri fluviatiles, radices & folia valerianæ ſylveſtris, & identidem tartarum chalibeatum, vel crocus martis aperiens, & ſub finem lactis aſinini uſus.

In tertio hujus morbi gradu auxilia ſuprà dicta intendenda ſunt, & ſi vigeat corporis calor & color, micetque pulſus,

ſanguis largâ manu mittendus eſt : ſi verò frigeat & palleat corpus, ſi parvus admodum deprehendatur pulſus, ſi ſyncope urgeat, cardiaca ſuadenda ſunt cochleatim ſumenda,

℞. Aquarum menthæ, & ſcabioſæ ana ℥iij. confecti alkermes, & de hyacintho ana ʒj. ſalis viperini & ſalis volatilis cranii humani, ana ℈j. tincturæ caſtorei gtt. xv. aquæ cinnamomi ʒij. adde lilii proprietatum Paracelſi gtt xl. fiat potio.

Extra paroxyſmum, præter ſuperiùs laudata remediorum genera, alia & quoque ſunt inſtituenda, qualia ſunt juſcula aperientia, opiatæ aperientes & purgantes, &c.

Hæc itaque ſufficiant pro ſtabiliendis univerſalibus medendi præceptis. Verùm priuſquàm deſeramus hanc curandi methodum, nonnulla ſunt breviter animadvertenda; & 1°. quidem omnes ſpecies paſſionis hyſtericæ morbum conſtituunt longum, chronicum, & contumacem; remedia ergo non unâ tantùm vice, nec unâ anni tempeſtate, ſed ſæpiùs, imò & in variarum tempeſtatum decurſu, præſcribenda ſunt.

2°. Quod ſpectat diætam, explodenda ſunt in genere alimenta cruda, acida, inſpiſſantia, aëria, & his penitùs oppoſita ſunt inſtituenda, in moderata doſi, ſeu copia: copia hæc imminui debet præſertim pro cœna.

3°. Et in diverſo temperamento & in diverſis regionibus varianda ſunt remedia: ſic ex. gr. in temperamento ſicco, calido & ſanguineo, ſicut & in regionibus calidioribus, medicamina laxantia, humectantia & refrigerantia magis competunt: in temperamento autem humido & regionibus frigidioribus, evacuantia, incidentia, aperientia magis proſunt.

4°. In curatione hujus morbi ſemper habenda eſt ratio cauſæ continentis, v. g. ſi affectus producatur ab uteri prolapſu, uterus neceſſariò ſitui priſtino reſtituendus eſt: ſi verò pendeat à ſuppreſſione menſium, evacuatio illa omni induſtriâ excitanda eſt.

5°. Demum (& illud probè notandum eſt) diras plerumque in hoc morbo edunt ſtrages purgantia, & præſertim cathartica & draſtica omnia, atque adeò ſumma cum cautela, vel nonniſi urgente ſummâ neceſſitate ſunt præſcribenda.



SECTIO SECUNDA.

De Morbis Mulierum Acutis.

SECTIO hæc octo complectetur capita: in 1°. agemus de furore uterino: in 2°. de inflammatione uteri: in 3°. de abortu: in 4°. de partu difficili: in 5°. de febre lactea: in 6°. de immodico lochiorum fluxu: in 7°. de eorumdem lochiorum suppressione: & in 8°. demum de dolorificis, vel saltem tactu & visu fœdis mammarum, & abdominis, post partum rugis, differemus.

CAPUT PRIMUM.

De furore uterino. Morbi descriptio & definitio.

UT habeatur hujus morbosi affectûs descriptio, considerari debet duplex illius stadium, unum scilicet, in quo femellæ viro plerumque maturæ, citra ullam causam manifestam, taciturnæ

evadunt, maximè huc uſque deſideratum fugiunt conſortium, vel levi de cauſa lacrymantur, vel lacrymas affatim involuntariè effundunt, ægrè admodum quæſitis reſpondent, obſcuriora loca, vel minùs frequentata petunt, pallore faciei, anorexiâ & ſæpè cibi faſtidio corripiuntur. Dum verò vel ex induſtria, vel caſu fortuito, res amatoriæ vel obſcœnæ repetuntur, quæ hactenus mœſtæ fuerunt femellæ jam præter naturam hilares evadunt: rubet earum facies, ſplendent oculi, ſummamque exponunt circa agitata objecta facundiam, nec, niſi revocato pudore, poſſunt tacere, tuncque in priorem incidunt taciturnitatem, conſortium fugiunt, loca petunt obſcura, vel parùm frequentata, &c.

Secundum verò ſtadium ſequentibus ſignis demonſtratur, adeſt ſcilicet oculorum ſplendor, & rotatio, faciei rubor præternaturalis, adauctum virium robur, garrulitas inſana, & tandem omnibus in pejus ruentibus, vel miſeræ cujuſdam mortis generi ſeſe exponunt, ſuperſtite adhucdum aliquo pudoris indicio, vel abjectâ prorſus omni verecundiâ, viros publicè quærunt, ſequuntur, & ad enormem concubitum ſollicitant.

Ex dictis 1°. patet furorem uterinum, si in determinato jam duplici stadio spectetur, ad maniæ speciem non posse essentialiter referri. In priori enim delirium est verè melancholicum, versatur enim circa unum aut alterum objectum, & ægrotantes congruè satis ratiocinantur circa obvia quævis objecta, si res obscœnas & amatorias excipiamus. In secundo verò casu non solùm delirant affectæ femellæ circa objecta obscœna, verùm etiam objectas quaslibet aliorum objectorum imagines malè repræsentant, & de illis incongruè judicant, ergo delirio afficiuntur universali citra febrem, vel quod idem est, aliquâ maniæ specie tentantur.

Hinc si utramque furoris uterini speciem brevi oratione liceat comprehendere, definiatur furor uterinus delirium nunc particulare, nunc universale, quo affectæ femellæ de rebus obscœnis & amatoriis assiduò cogitant, vel furibundæ, impudica verba proferunt, omnique abjectâ verecundiâ, viros indiscriminatim ad coïtum sollicitant.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Præcipuæ hujus morbi differentiæ desumi poterunt vel ex diversa delirii spe-

cie, vel ex diverſitate ſymptomatum, vel ex varia durationis norma, vel ex complicatione, aut ſimplicitate, vel demum ex cauſarum varietate.

1°. Itaque ſi delirium eſt particulare circa res nimirum obſcœnas & amatorias, furor ille dicitur melancholicus : ſi verò univerſale ſit, tametſi magis vividum deprehendatur, circa objecta obſcœna, delirium eſt maniacum.

2°. Vel ſymptomata levia ſunt, qualia determinavimus in priori, vel gravia & moleſta admodum, ut in ſecundo ſtadio innuimus, hinc furor fortis, vel gravis.

3°. Vel à brevi jam tempore, vel à longo invaſit, hinc furor recens, vel inveteratus.

4°. Vel furor ille concomitantem habet hactenus recenſitorum ſymptomatum ſeriem, vel cum illis aliorum morborum ſymptomata junguntur, hinc furor dicitur ſimplex, vel complicatus.

5°. Demum alius deprehenditur furor uterinus qui à ſolius cerebri vitio proficiſcitur, alius verò qui ab humoris ſeminalis copia habet originem, hinc iterùm nova hujus morbi differentia juxta cauſarum diverſitatem.

CAUSÆ.

Quod conſtituit naturam & eſſentiam furoris uterini, delirium eſt. Hoc utrum particulare eſt, vel univerſale, ut plerique contendunt medici: auditores remittimus ad ea quæ diximus, dum de deſcriptione morbi ſermo erat, quibus, niſi nos noſtra fallit opinio, evidenter ſatis demonſtravimus, in primò illius morbi ſtadio, eſſe delirium particulare, ſive melancholicum: in ſecundò verò delirium univerſale, ſive maniacum. Verùm qualecumque ſit delirium, ſive particulare, ſive univerſale, in eo conſentiunt omnes medicinæ ſcriptores cujuſcumque delirii ſedem eſſe in cerebro, & illius cauſam conſiſtere in fibrarum emporii vitio: hinc inanis foret diſputatio circa ſedem, aut morbi cauſam proximam.

Verùm in quo conſiſtat præcisè illud fibrarum cerebri vitium maximè controvertitur, nec profectò unquam forſan determinari poteſt ob ignotam prorsùs partium cerebri fibroſarum naturam & uſum. Alii enim ſtatim confugiunt ad fibrarum illarum ſiccitatem, cujus ratione conjungenda ſeparantur, & ſeparanda uniuntur.

Sed patet experientiâ talem hypothesim falsam esse : nam 1°. solâ persuasione tollitur aliquando delirium. Quænam, quæso, est persuasionis conformitas cum fibrarum cerebri siccitate?

2°. Quis credat hominem ob bonorum jacturam melancholiâ tentatum, (si illâ pendeat à fibrarum siccitate præternaturali) quis, inquam, credat ægrum illum, solâ bonorum amissorum recuperatione, sanari posse : interim tamen hoc, experientiâ multiplici, comprobatur.

Hinc illam juvat refutare sententiam... Et liceat in re tam incerta, alteram, non demonstrationem quidem, sed veritati forsan magis appropinquantem hypothesim in lucem proferre.

Causa itaque furoris uterini consistere potest, vel in aliquarum tantum cerebri fibrarum, vel omnium aut saltem variarum tensione præternaturali : nam 1°. tensio illa, vel particularis, vel universalis, & præsertim inæqualis producit delirium vel particulare, vel universale. 2°. Solâ persuasione, quâ cæteræ fibræ, ad persuasionem attentæ, magis dimoventur, uberiorem suscipiunt succi nervalis copiam. Hæc copia depromi potest à fibris nimis tensis & repletis, unde morbi solu-

tio & sanatio. Idem dicendum de bonorum amissorum recuperatione. 3°. Faciliùs longè laxantur, vel remediorum ope, vel exercitiorum beneficio, vel objectorum, & idearum mutatione, &c. fibræ tensæ, quàm laxantur, & pristinæ elasticitati restituuntur fibræ exsiccatæ, ut patet vel leviter attendenti. 4°. Vivida nimis aliquorum objectorum repræsentatio, aut phantasia vel variorum simul, indomitumque virium robur, quæ omnia aut in primo, aut in secundo morbi hujus stadio demonstrantur, nunquam deduci possunt, nisi à tensione fibrarum cerebri majori.

Tensio autem illa præternaturalis à duplici potissimùm fonte solet oriri.

1°. Ab imaginatione læsa quam inducunt libri amatorii, imagines, res venereas repræsentantes, comediæ, cum impudicis commercia, spectacula varia, &c.

2°. Nimia humoris seminalis copia, vel adaucta illius acrimonia; has iterum producunt variæ causæ, quales sunt diutiùs protracta veneris abstinentia in illis præsertim, quæ huic operi indulgere solebant; 3°. vita deses & otiosa, alimentorum euchymorum usus, &c. Seminalis

humoris acrimoniam inferunt alimenta ſalſa, piperata, vigiliæ, potus liquorum ardentium, exercitia, &c.

SYMPTOMATA.

In diverſo hujus morbi ſtadio, diverſâve periodo aut ſpecie, diverſa ſeſe exhibent ſymptomata, examini, ſeu explicationi jam ſeorſim ſubjicienda.

In priori enim ſtadio femellæ, citra cauſam manifeſtam, taciturnæ fiunt, amicarum hactenus amatarum licet fugiunt conſortium, vel levi de cauſa, imò citra ullam, lacrymas effundunt involuntariè & affatim, quæſitis ægrè reſpondent, loca adeunt minùs frequentata, pallore faciei, inappetentia & ſæpè cibi faſtidio corripiuntur, &c.

1°. Itaque dum imaginatio læditur, & verſatur præcisè circa unum aliudve objectum, ut in furore accidit uterino, circa res nimirum obſcœnas & amatorias; tota quaſi animæ attentio, circa has ſolas verſatur ideas; nil mirum itaque, ſi parùm attendat ægra ad ea quæ dicuntur, quæ proferuntur, quæ narrantur, & inde ſic taciturna prorsùs contra conſuetum morem evadat.

2°.

2°. Amicarum, nullo tali affectu laborantium, difcurfus, convivia, ludi, cantilenæ, &c. totidem quafi funt inftrumenta, quorum ope furore uterino cruciatæ, divexatæ, ab ideis amatoriis & obfcenis deturbantur, & hinc eft, cur fugiant, amicarum, etfi amatarum, confortium.

3°. Ad fibras cerebri affectas, quæcumque funt, major affluit liquidi nervalis copia: hinc illius defectus in aliis colatoriis; hinc liquorum ftafes, & difpofitio proxima, ad ferum effundendum; hæc dum junguntur cum mentis anxietate & triftitiâ, quid mirum fi ad farcinam tollendam quafi involuntariè effundantur affatim lacrymæ.

4°. Parum attendunt, ut dictum eft ad ea quæ proponuntur, quæ quæruntur; unde quæfitis ægrè refpondent.

5°. Ratione organorum præfertim auditûs & visûs, varias illæ impreffiones fufcipiunt femellæ, quibus anima ab amabili rerum obfcenarum, & amatoriarum cogitatione, quadantenus dimovetur; hinc furore uterino affectæ loca petunt magis obfcura, & minùs frequentata.

6°. Ob perpetuam cogitationem retinetur major liquidi nervalis in cerebro

copia ; minùs itaque moventur cæteri corporis nervi ; hinc minor ſanguiferorum vaſorum vibratio ; unde faciei pallor, extremorum frigus, &c.

7° Parum, ut ſupra dictum, attendunt ad quaſcumque impreſſiones factas, niſi proprias attingant ideas, vel cum illis aliquam habeant affinitatem : hinc quæcumque ſit motitatio, quæ famem excitat, incaſſum perficitur, illâ, inattenta prorsùs non commovetur anima : hinc inappetentia ; etſi à ventriculo transferatur inanis commotio fibrarum ad linguam & imas fauces ; hinc ciborum faſtidium.

8°. Dum verò de rebus amatoriis aut obſcenis, quomodocumque fit mentio, affectæ jam fibræ cerebri validè & grato tamen modo convelluntur ; vicinæ & quoque ex ſtatu quaſi lethargico, exſuſcitantur : hinc ſtagnantium hactenus liquorum motus truſivus, validior, & promptior ; hinc mentis hilaritas, faciei rubor, oculorum ſplendor, garrula circa res obſcenas facundia, donec non penitus amiſſus, revocatus fuerit pudor, & tunc diſparent hæc ultimo recenſita ſymptomata, indeque iterum incidunt in priora.

In ſecundo verò ſtadio jamjam expli-

cata ſymptomata intenduntur, magis enim notabilis eſt hilaritas, rubet magis facies, ſplendent magis oculi, &c. hæcque ſymptomata pendent omnia, à cauſis jam explicatis intenſiori gradu agentibus, atque adeò ut repetitiones nauſeam ſemper promoventes vitemus, ulteriori juvat ſuperſedere explicationi. Verùm omnibus in pejus ruentibus, particulare delirium convertitur in univerſale, & vel morti ſeſe exponunt voluntariè vel propenſione fœdâ obcœcatæ viros quærunt, & etiam ſi fugiant ſequuntur, & ad coitum ſollicitant. Hæc videntur explicatu digna.

1°. Itaque ex iteratâ tenſione fibrarum cerebri, liquores tendentes, reperiendo reſiſtentias in vaſis nimis repletis, derivantur ad vaſa lateraliter poſita; hinc variarum fibrarum repletio, & tenſio præternaturalis, & irregularis; hinc vel repræſentationes variorum objectorum falſæ, falſave judicia, hinc univerſale delirium.

2°. Licet delirium ſit univerſale, aliqua remanent verecundiæ indicia, & hinc potiùs quam res indignas prorsùs operentur, mortem voluntariè accerſunt.

3°. Demùm ſive à peculiari fibrarum quarumvis emporii commotione, vel

particularium tantummodò, pendeat, idearum, & judicii, exercitium, nil mirum si, omnibus in pejus ruentibus, & intensiori factâ causarum energiâ, nil mirum, inquam, si cogitatio de verecundia pervertatur; hinc furibundæ femellæ, ideis fortioribus incitatæ, viros quærunt, sequuntur, & ad coitum sollicitant.

DIAGNOSIS.

Licet furor uterinus dignoscatur apprimè ex iis, quæ supra diximus, in tradendis illius descriptione, definitione, differentiis, &c. juvat tamen pro more consueto, illum distinguere ab alio affectu cum quo videtur, penes nonnulla symptomata, aliquam habere affinitatem; deinde illius species distinguendæ sunt inter se sicut & differentiæ variæ, variæque ejusdem causæ.

1°. Itaque furor uterinus cujus natura generalis consistit in delirio, symptoma illud habet commune cum omnibus aliis delirii speciebus: uterinus nempè furor in primo stadio consideratus, cum deliriis omnibus particularibus sive melancholicis; spectatus verò in secundo stadio cum deliriis universalibus, phreniticis nimirum, & maniacis.

Verum uterque uterini furoris gradus ab iis omnibus poteſt ſat facilè diſtingui, primus nempè diſtinguitur ab omni delirio melancholico, ratione objecti, rerum nimirum obſcenarum & amatoriarum: quæ ſemper objecta ſunt prioris ſpeciei furoris uterini. Secundus pariter gradus diſcrepat ab omnibus deliriis univerſalibus, phreniticis nimirum & maniacis. A phreniticis diſtinguitur per abſentiam febris, quæ ſemper comes eſt individuus phrenitico delirio. Præterea delirium univerſale furoris uterini habet ſemper pro objecto familiari res obſcenas & amatorias: delirium verò phreniticum, illas vel numquam reſpicit, vel reſp-cit ad ſummum tranſitoriè & quaſi per accidens: idem dicendum de modo, quo gradus ille diſtingui poteſt à delirio maniaco in genere ſumpto.

2°. Gradus vel ſpecies furoris poſſunt inter ſe diſtingui: in primo enim, ut ſæpiùs dictum eſt, delirium eſt particulare, ſive melancholicum, & ſymptomata ſunt taciturnitas, &c. in ſecundo verò delirium eſt univerſale, vel maniacum, & ſymptomata ſunt rubor faciei, &c.

3°. Ex pauciori, vel multiplicato ſymptomatum numero, & præcipuè ex illorum majori aut minori vehementiâ di-

gnoſcitur utrùm furor ille mitis eſt, vel gravis.

4°. Habito reſpectu ad tempus quo primò invaſit morbus ille & perduravit, dignoſcitur utrùm recens ſit, vel inveteratus.

5°. Si hujus ſolius morbi ſymptomata propria apparent, vel cum illis aliorum affectuum ſymptomata, dignoſcitur ſtatim morbum illum eſſe vel ſimplicem, vel complicatum.

6°. Demum ſi morbus ille accidat juvenili prorſus corpori, vel propter commercium conſtans cum impudicis mulieribus, vel ſedulâ nimis lectione librorum amatoriorum, vel ſpectaculorum amorem ſpirantium præſentiâ, profecto imaginationis læſio, pro cauſâ accuſanda eſt.

Verum ſi viduis junioribus & caſtis, citra jam laudata incitamenta, accidat, pro causâ accuſandus eſt humor ſeminalis. Si verò eædem viduæ juniores & caſtæ iiſdem aſſueſiant incitamentis, impudicarum ſcilicet conſortio, amatoriorum librorum lectioni, &c. & ſeminalis humor, & imaginatio læſa morbo producendo aut ſaltem intendendo mutuâ combinatione ſolent favere.

An verò ſeminalis humor adauctâ pec-

cans quantitate vel acrimoniâ alteratus, hunc morbum, vel immediatè producat vel foveat, his signis dignosci potest. In laudatis jam viduis castis, obæsis, alimentis euchymis utentibus, & otiosæ vitæ indulgentibus, accusanda est humoris seminalis adaucta tantum quantitas; si verò appareat in virginibus, macilentis, aridis & siccis, quæ alimentis salsis, piperatis, conditis, vesci solebant, accusanda est illius humoris acrimonia: si verò viduis, aut mulieribus à sponso separatis, & vitam castam degentibus, sicco, calidoque temperamento donatis, &c. insidiatur furor uterinus, tunc pronum est conjicere & copiam adauctam, & acrimoniam humoris seminalis morbum produxisse.

PROGNOSIS.

Ut intelligatur qualis fuerit eventus, vel quod idem est, qualis stabilienda sit prognosis uterini furoris, oportet ut spectetur morbus ille, aut in genere, aut penes diversas circumstantias.

Si enim spectetur in genere, morbus est incommodus, fœdus, plerumque longus, curatu difficilis & sæpè periculosus.

1°. Namque morbus ille, quem concomitantur symptomata cuilibet speciei

furoris uterini eſſentialia, incommodus prorſus habendus, ut vel leviter attendenti patet.

2°. Morbus cujus natura & eſſentia animam determinant ad exoptanda objecta illicita, improba, impura, morbus dedecorus & indignus eſt: ſed morbus quo vel invitæ excitantur femellæ ad inveſtigandos, perſequendos & publicè ſollicitandos ad coitum impuriſſimum, viros, morbus profecto eſt turpiſſimus & maculis quaſi indelebilibus fœdus; talis verò eſt furor uterinus ut patet ex dictis.

3°. Morbi omnes qui pro eſſentiâ agnoſcunt delirium, & præſertim delirium quod febrem non habet comitem, ſunt morbi plerumque longi: morbi verò, de quo hic agitur, natura, in delirio conſiſtit. Nec delirium illud febrem habet tamquam ſymptoma eſſentiale, morbus itaque plerumque longus eſt. Illum tamen poſuimus inter morbos mulierum acutos, habito nimirum reſpectu ad ſymptomata, quæ non rarò brevia percurrunt tempora, & cum periculo, & præterea quod in diverſis circumſtantiis ſubito ſæpè tollatur, ut videbimus.

4°. Cautè fugiunt quæ hoc morbo tentantur femellæ, amicarum, imo & omnium quorumcumque (niſi verſetur circa

delirii objecta) consortium & commercium, persuasione nullo modo delectantur, ad eam vel non attendunt, vel vituperant, remedia spernunt & odiunt, etiam in leniori affectûs gradu, hinc difficilis curatio : quantò autem difficilior futura est in altero gradu, in quo & magis sæviunt symptomata, & delirium fit universale, omnibus notum est.

5°. Præter periculum quod necessariò sequitur, symptomata gravia quibus affliguntur illæ femellæ, & quæ functiones necessariò labefactant animales, altera & quoque est novorum periculorum origo, immanitas nimirum delirii, quâ commotæ laborantes ultrò nefandæ licet morti sese exponunt; nam quid femina furens non efficit ?

Hæc autem licet generalis sit hujus morbi prognosis statuenda, solet tamen variare juxta varias circumstantias. Et,

1°. Quidem si spectetur juxta diversos gradus vel juxta diversa illius stadia, evidens est gradum primum posteriori esse minus periculosum : in priori enim, & pauciora & minus sæva sunt symptomata, deliriumque tantùm particulare est; hinc fit ut facilius persuaderi poterunt, in posteriori verò symptomata plura sunt, & sæviora, & delirium

eſt univerſale; & hinc longè minus aptæ redduntur ſuſcipiendis aut conſiliis aut perſuaſionibus aut remediis, unde majus periculum.

2°. Omnes norunt furorem uterinum recentem faciliùs curari inveterato, nec hoc probatione indiget.

3°. Furor uterinus ſimplex minus portendit, complexo, aut complicato, & hoc quoque per ſe patet.

4°. Furor uterinus ab humoris ſeminalis vitio oriundus, facilius curatur illo, cujus cauſa conſiſtit in imaginatione læsâ, &c.

5°. Dum ille producitur ab adauctâ tantùm copiâ humoris ſeminalis, faciliùs curatur quam dum ab ejuſdem humoris acrimonia ſoboleſcit.

Dum producitur furor hic, uterinus vulgò dictus, & ab auctâ humoris ſeminalis copiâ, & à nimiâ illius acrimoniâ, curatio longè difficilior evaſura eſt, quàm quando ab alterutrâ ex his cauſis proficiſcitur. Sic licet, ut ſupra dictum eſt, delirium illud ſive melancholicum, ſive maniacum ſit, dum ab humore ſeminali inducitur, minùs periculoſum ſit, illo, quod natales ducit à læſione imaginationis, obſervandum tamen eſt, furorem uterinum, ad quem producendum ſi-

mul & humoris ſeminalis vitium, & imaginationis læſio conſpirant, multo magis periculoſum eſſe, quam dum ex alterutrâ illarum cauſarum proficiſcitur.

CURATIO.

In inſtituenda hujus morbi therapeiâ, duplex illius gradus ſeorſim neceſſariò conſiderandus eſt: gradus ſcilicet in quo delirium eſt particulare, vel melancholicum, & gradus, in quo idem delirium univerſale eſt vel maniacum; & inde remedia cuilibet gradui ſanando magis appropriata faciliùs ſeliguntur.

In priori gradu ſedulo examinandum eſt à quâ causâ continente vel verè medicâ procedat malum: hinc auxilia profligandæ tali cauſæ aptiora facilius eliguntur & feliciùs præſcribuntur.

1°. Itaque ſi à ſolâ imaginatione læſâ producatur, furor uterinus, & recens ſit morbus, ideæ illæ melancholicæ, aliarum idearum gaudium & lætitiam præ ſe ferentium, varietate, non raró ſedantur; illius enim varietatis beneficio, aliæ & plurimæ cerebri fibræ ſæpiùs & magis commoventur, uberiùs replentur, validiùs tenduntur; hinc fibrarum melancholiam inducentium feriatio, laxitas,

depletio, unde ſæpè morbi ſolutio; eidem ſcopo maximè conveniunt, ſedula & ſeria, ſed hilaris, repræſentatio opprobrii ſtatûs morbi quo afficiuntur, itineratio, equitatio, ambulatio, ſuaderi debent; abſtinendum prorsùs eſt ab impudicarum mulierum conſortio, explodenda librorum amatoriorum lectio, verbo ſedulò vitanda ſunt incitamenta omnia, & illorum loco ſubſtituenda ſunt preces, jejunia frequentia, modeata diæta, & præſertim occupationes ſedulæ, hilares & à rebus amatoriis penitùs diſtinctæ, & alienæ: nam juxta poëtam

> Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
> Contemptæque jacent & ſine luce faces.

2°. Verùm ſi laudatis jam auxiliis contumax non cedat morbus, venæ ſectio inſtituenda eſt in talo, ut imminuatur ſanguinis moles, & ut major illius copia, vel ſaltem aucta celeritas determinetur ad inferiora. Et inde imminuatur fibrarum cerebri tenſio.

3° Laxanda quoque eſt alvus, clyſterum laxantium & refrigerantium ope, qualis eſt ſequens.

℞. Foliorum malvæ, betæ, & lactucæ

ana m. 1. ſeminis lini ℥iß. ſeminis viticis, ſive agni caſti ℥j. colaturæ ℥x. diſſolve medullæ caſſiæ recentis ℥ij. fiat clyſter.

Continuandus eſt uſus illius clyſteris vel conſimilis alternis ad minùs diebus. 4°. Purgantia quoque lenia competunt identidem præſcribenda ſub formulâ ſequenti.

℞. Sennæ orientalis, ʒiß. florum malvæ & violarum ana p. ij. coque in ſ. q. aquæ fontanæ colaturæ ℥vj. diſſolve mannæ calabrinæ ℥j. fiat potio.

5°. Et ut ferientur affectæ cerebri fibræ, nocturnis præſertim horis, julepi refrigerantes, & narcotici præſcribendi ſunt ſub hac vel parum abſimili formulâ.

℞. Aquarum lactucæ & portulacæ ana ℥ij. ſirupi papaveris albi ℥ß. adde ſirupi de nymphæa ℥j. fiat julepus.

6°. Verùm ſi minùs arrideat ægris, julepi præſcripti uſus, quia omnia remediorum genera odiunt & ſpernunt; hinc induſtriâ utendum eſt, & in potu quocumque ordinario ebulliri poterunt vel

flores papaveris erratici,vel capita aliquot papaveris albi.

In ſecundo gradu furoris uterini in quo & ſymptomata ſunt numeroſiora & magis ſæva, & delirium eſt univerſale; ex remediis ſupra præſcriptis in primo gradu alia ſunt explodenda tanquam inutilia prorſus; alia verò præſcribenda, ſed frequentiùs & in majori plerumque doſi; alia tandem hactenus non indigitata ſunt in uſum vocanda, &

1°. Quidem auxilia quæ in primo gradu maximæ ſunt neceſſitatis, ut idearum diverſitas, opprobrii repræſentatio, itineratio, equitatio, ambulatio ſunt ut plurimum explodenda; ubi enim adeſt univerſale delirium, vel nullius vel parvi admodum momenti ſunt: ſed eorum loco ſubſtituendæ ſunt retentio in locis obſcuris, ligaturæ, fuſtigatio, &c.

2°. Venæ ſectiones, diæta tenuis, clyſteres emollientes, lenia cathartica & hypnotica ſunt quidem ſuadenda, ſed frequentius & in majori doſi, &c.

3°. Tandem juſcula refrigerantia, emulſiones, ptiſanæ emulſivæ, lacticinia, aquæ minerales frigidæ, & balnea aquæ dulcis tepefactæ, quæ auxilia ſunt hactenus non indigitata, mira tamen præſtant in ſecundo morbi ſtadio.

Et hæc eſt methodus generalis curatoria furoris uterini. At illius calci juvat, aliquas animadverſione forſan non penitus indignas, ſubjicere annotationes. Et,

1°. Quidem dum morbus eſt contumax, auxilia, ſive remedia ſæpiùs iteranda ſunt.

2°. Habenda eſt ratio temperamenti & regionis; ex. gr. in temperamento calido & regionibus calidis refrigerantia fortiora ſunt exhibenda, in temperamento verò humido, & regionibus frigidis, lenia tantùm refrigerantia & lenibus ſæpè incidentibus maritata præſcribenda ſunt.

3°. Habenda & quoque eſt ratio cauſæ continentis. Sic ſi ab uteri, aliarumve partium obſtructionibus pendeat morbus, abſolutè neceſſarius eſt aperientium uſus. Si à copiâ adauctâ humoris ſeminalis proficiſcatur malum, legitima evacuatione tollitur, quæ evacuatio vel penitus nociva eſt vel ſaltem inutilis, dum acrimonia præſertim univerſalis cauſa eſt: tunc enim ſola proficiunt diluentia, inviſcantia, refrigerantia.

CAPUT II.

De uteri inflammatione. Morbi descriptio & definitio.

INflammatione uteri laborantes tumorem percipiunt præternaturalem in utero, calorem immanem, dolorem nunc pulſatilem, nunc deurentem, rubore quidem, licet inconſpicuo, perfunditur pars affecta, & febre acutâ, totius corporis calorem maximè notabilem, ſummèque moleſtum neceſſariò allaturâ, cruciantur.

His ſymptomatibus alia junguntur: ex. gr. anxietas ſumma, jactatio corporis, urinæ ſuppreſſio vel partialis vel totalis, flammeus ejusdem color, vigiliæ immoderatæ, pulſus durus, alvi conſtipatio, oculorum ſplendor, aſpera cutis ſiccitas, & ſi tempore, quo fluere ſolebant menſes, accidat illa inflammatio, menſtrualis evacuatio ſupprimi ſolet: ſi verò puerperis, lochiorum vel ſiſtitur vel imminuitur profluvium; aliquando dolor immanis evadit, inaſſueta percipitur affectæ partis pulſatio, & intenditur fe-

bris ; & paulo poſt gradatim ceſſant ſymptomata , & alia accedunt , febris nimirum lenta , corporis marcor , & humoris viridis , flavi , vel albeſcentis per partes genitales effluxus ; vel ſubitò ceſſant inflammationis uterinæ ſigna, & accedunt corporis debilitas , virium jactura , ſudor frigidus, imminutio pulsûs , animi deliquium , &c.

Verùm tam numeroſa eſt jam exaratorum ſymptomatum ſeries ut omnia, intra arctos definitionis cancellos , recludere impoſſibile ſit, niſi mutetur definitionis ordo receptus , qui in brevitate præſertim videtur conſiſtere. Præterea morbo eſſentialia non ſunt cuncta ; nam ſymptomata , de quibus ultimò mentionem fecimus , morbi potiùs conſectaria ſunt, quam illi propria , vel tandem quaſi totidem ſunt morbi alieni , in quos uteri inflammatio ſæpè terminari conſuevit.

Quapropter , juxta ſymptomata tantum propria & quaſi pathognomonica, juvat hunc morbum definire.

Inflammatio itaque uteri eſt illius partis, tumor præternaturalis, dolore, calore , rubore , febre acutâ & calidâ, & pulsûs duritie , ſtipatus.

Juxta hanc definitionem illa inflam-

matio diſtinguitur, ab omni alio illius partis affectu, ut videbimus alibi.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Præcipuæ inflammationis uteri differentiæ deſumi poterunt à diſtinctis capitibus, à diversâ nimirum tumoris natura, à diverſa ejuſdem extenſione, duratione variâ, ſimplicitate aut complicatione & demum cauſarum diverſitate : ſic,

1°. Vel uteri inflammatio circumſcripta eſt, notabiliter eminens, renitens, & pulſatilis, vel quod idem eſt, phlegmonodea; aut inflammatio illa ſuperficiaria eſt, certis limitibus non coercita, parum renitens, calore deurenti ſtipata, vel quod idem ſonat, eryſipelatoſa eſt; hinc illius morbi diverſitas penes diverſam tumoris naturam.

2°. Vel omnes aut ſaltem plures uteri partes attingit morbus ille, vel diſtincta quaſi occupat puncta: hinc univerſalis eſt, vel particularis; atque adeò altera illius diverſitas juxta diverſam extenſionem.

3°. Vel à brevi, vel à ſat longo temporis ſpatio apparuit, aut perduravit uteri inflammatio: hinc morbus aut recens aut inveteratus dici conſuevit.

4°. Vel ſolius uteri inflammationis ſigna & ſymptomata apparent, vel cum illis combinantur aliorum ſymptomata morborum, hinc morbus eſt ſimplex, vel complicatus.

5°. Demum vel ab auctâ ſanguinis appellentis mole, auctâ ejuſdem rareſcentia, intenſâ ſpiſſitudine, vel præpedito ejuſdem regreſſu vaſorum laxitate, aut imminuta diametro, proficiſcitur uteri inflammatio: hinc penes cauſarum diverſitatem, nova hujus morbi differentia, ſed de his fuſiùs agemus ſuo loco.

CAUSÆ.

Inflammatio uteri ſuperiùs deſcripta & definita ſpectari debet tanquam morbus non pathologicè, ſed ſymptomaticè ſumptus.

Verùm ſi habeatur ratio eorumdem ſymptomatum, ſive eſſentialium, ſive accidentalium, & præſertim priorum, ab illius uteri inflammatione producuntur omnia. Sciendum itaque quænam ſit illius inflammationis cauſa. Et profectò illius cauſa immediata præcisè conſiſtit in ſubito circulantis ſanguinis motu præpedito, per uteri vaſa, & ſimul adaucta ejuſdem liquoris agitatione

laterali; datâ enim illâ causâ solâ, omnia hujus morbi symptomata explicari poterunt, ut inferiùs videbimus, dum de symptomatum theoria sermo erit.

Jam verò, licet à pluribus causis, producatur sanguinis per uterum circulantis motus progressivus, præpeditus, & intensio agitationis lateralis; interim tamen tum brevitatis, tum claritatis ergo, illas omnes ad duo capita generalia juvat reducere.

Nam certum est, quòd ubicumque sistitur subitò, progressivus sanguinis motus, & augetur illius iterata lateralis commotio, agitatio in vasis elasticis & vivis, illud semper pendere, vel à majori mole, majorive volumine sanguinis appellentis ad uteri vascula, vel ab inhibito ejusdem humoris regressu ab uteri substantiâ per canales venosos: toties enim sanguinem subitò retardari in motu progressivo, vel ut vulgò dicitur subitò hærere, & in motu laterali intendi, accelerari necessum est; & hoc quidem ulteriori non indiget probatione.

Examini itaque subjiciendæ sunt causæ, quarum ope, major sanguinis moles, majusve volumen determinatur ad uterina vascula; deinde nec prætereundum est examen causarum, liberum præpe-

dientium regressum sanguinis ab uteri substantiâ, per tubulos venosos. Et,

1°. Quidem major determinatur liquidi sanguinei copia ad uterum, vel saltem majus illius volumen moli æquipar, ob causas generales vel particulares. Causæ generales determinantes adauctam sanguinis copiam ad uterum, sunt plethora universalis vera, sive redundantia omnium humorum in corpore, & aucta respective moles globulorum præsertim purpureorum.

2°. Causæ plethoræ veræ sunt alimenta euchyma, vita hilaris & otiosa, organorum digestioni dicatorum vis solito magis energica, perspirationis, urinæ, aliarumque evacuationum imminutio, vel supressio, &c.

3°. Auctam globulorum molem producunt organorum sanguificationi dicatorum intensior vis & energia, dispositio sanguinis resinosa, dissipatio seri aut lymphæ, aut utriusque simul, &c.

Quod facit, absolutè major, aut humorum, aut globulorum moles, facit & aucta præter naturam alterutrius vel utriusque spissitudo, quam inducunt alimenta acida vel levi de causa acescentia, alimenta glutinosa, spirituosa, farinosa, &c.

4°. Causæ particulares illorum liquorum molem augentes sunt vasorum sanguiferorum per viciniam reptantium obstructiones, compressiones, verbo angustiæ omnes à quacumque causâ proficiscantur, favet & quoque vasorum laxitas, &c.

5°. Quod facit illa humorum aucta moles, auctave spissitudo, facit & quoque auctum tantùm volumen, vel plethora spuria, sive illa universalis sit vel particularis.

Universalem inducunt liquores ardentes, balnea calida, variolæ, morbilli, febres ardentes, &c.

Particularem verò inferunt remediorum calidorum utero applicatorum abusus, nimis iteratæ irritationes uteri, vasorum distractiones incautæ, ut in partu difficili, &c.

Jam verò examinandæ sunt causæ præpedientes regressum sanguinis ex uteri substantia per ductus venosos. Et,

1°. Quidem si in arteriarum uterinarum finibus hæreat ob quamcumque causam sanguinis, venarum principia premuntur; unde præpeditus regressus: hinc catamenia difficiliùs fluentia inflammationem inducunt, &c.

2°. Tumores skirrhosi in venarum viciniâ siti, venas comprimunt, regressui

ſanguinis reſiſtunt, illius hærentiæ anſam & occaſionem præbent, hinc uteri inflammatio. Quod dico de tumore skirrhoſo, de alis quoque tumoribus intelligi debet.

3°. Vel fluentibus menſtrualibus purgationibus vel lochiis poſt partum, ſi vel acida applicentur remedia, vel aſtringentia, vel corpora quæcumque frigida, hiulca vaſorum ſecretoriorum ora, ſubitò clauduntur, vicina venoſa vaſcula premuntur. Hinc inflammatio, ut dictum eſt.

4°. Venarum criſpaturæ à corporibus pungentibus, diſtrahentibus, irritantibus, aut quomodocumque vulnerantibus inductæ, ſanguinei laticis regreſſum præpediunt, & inflammationem inferunt.

5°. Demum à quacumque cauſâ producatur venarum laxitas, impedit ſemper quominùs liberè regrediatur ſanguis ab uteri ſubſtantiâ; hinc effectus toties repetitus.

SYMPTOMATA.

Jam examini exponenda, ſunt vel potiùs explicationi, ſymptomata ferè omnia ſuperiùs recenſita, tum eſſentialia, tum accidentalia, qualia ſunt tumor præternaturalis, &c.

1°. Itaque non poteſt retardari, & quadantenùs ſiſti, motus ſanguinis per uterum circulantis, quin fiat illius collectio; nec fieri poteſt illius collectio, quin affecta pars majus occupet ſpatium. Hinc tumor uteri præternaturalis.

2°. Sic præpediri nequit ſanguinis progreſſivus motus, quin validior evadat illius actio verſus latera vaſorum. Latera hæc dilatabilia, & elaſtica, iterum, iterumque reſiliunt. Hinc vaſorum & fluidorum reciproca actio & attritus, unde motus major, &c. in quo conſiſtit caloris eſſentia.

3°. Continuari nequit talis liquidorum in ſolida, & ſolidorum in liquida reciproca actio ſubitanea, & valida, quin fibrillæ nerveæ, ſemper intertextæ, diſtrahantur vel in vaſis magis profundis, & majoribus vel vaſis per ſuperficiem reptantibus, & minoribus quæ dilacerationi apta ſunt. Hinc dolor vel pulſatilis, vel deurens.

4°. Hærens globulorum agitatorum moles ruborem conſtituit, licet inconſpicuum, quia oculorum aciem plerumque fugit, quia internus eſt.

5°. Inflammatio uteri morbus eſt acutus, ſymptomata ergo habet brevi ſua tempora percurrentia cum periculo, hinc febris,

febris, ob celeriorem regressum venosi sanguinis ad cor, consequenter ad iteratas & validas actiones liquidorum in solida, & solidorum in liquida, unde febris acuta, & calorem inducens.

6°. Membranarum magis tensarum validior reactio: hinc pulsûs durities.

Jam ad symptomata frequentia quidem sed minùs essentialia. Et,

1°. Ob sæpiùs iteratam actionem liquidorum & solidorum, quâ anima vel invita torquetur, fit anxietas; ob partium dolorem & calorem immanem, fit corporis frequens jactatio, ut sedetur dolor & calor imminuatur.

2°. Ratione uteri tumoris inflammatorii vel vesica urinaria comprimitur, vel propter viciniam ejusdem phlogosis inducitur: hinc urinæ suppressio vel totalis vel partialis, prout causa vel magis, vel minùs valida est; & dum partialis est, quæ effunditur urina, flammei est coloris, ob dissipationem partium aquosarum, à præternaturali calore inductam.

3°. A continuato calore, & dolore cerebri fibræ continuò moventur: unde vigiliæ immoderatæ.

4°. Intestinis calor vicinus communicatur; hinc serosarum ibidem contentarum partium dissipatio; hinc excre-

mentorum durities, & alvi conſtipatio. Illud quoque ſymptoma deduci poteſt, vel ex communicatâ phlogoſi, vel ex dolore in excernendis fecibus.

5°. Splendor oculorum, & aſpera cutis ſiccitas, ex majori & violentiori humorum motu per oculorum & cutis vaſa poterunt deſumi.

6°. Uterus ſemel & ſufficienter inflammatus vaſa menſtrualis purgationis vel lochiorum tranſcolationi dicata, comprimit magis vel minus pro majori aut minori inflammationis intenſione; unde tempore opportuno menſium aut lochiorum ſuppreſſio aut totalis aut partialis.

Jam tandem ad ſymptomata morbos alienos indicantia. Et,

1°. Sæpiùs iterato & aucto liquorum ſtagnantium niſu in vaſa, hæc dilacerantur cum impetu, & dolorificè: hinc major dolor, intenſior febris, pulſatio inæqualis; quæ ſymptomata, ſubſequitur ſuppuratio, ulceratio & pro diverſâ materiei indole, vel diverſâ miſcelâ vel diverſo caloris gradu, effluxus materiei flaveſcentis, virideſcentis, vel albicantis per partes genitales cum marcore corporis, febre lenta, &c.

2°. Ex totali vaſorum affectorum feriatione, quæ, vel iteratos ictus, vel li-

quorum ſpiſſitudinem, vel corroſionem ſubſequitur, ceſſant ſubitò omnia uterinæ inflammationis ſymptomata, & illi ſuccedunt ob circulationem præpeditam, pulsûs debilitas, ſudor frigidus, animique deliquium, mortis plerumque nuncium, quia inflammatio in gangrænam lethalem convertitur.

DIAGNOSIS.

Tametſi clara ſatis ſit inflammationis uteri diagnoſis iis quæ hactenus dicta ſunt, dum de morbi deſcriptione, definitione, differentiis, &c. ſermo erat; fuſiùs tamen juvat, illam ab omnibus morbis, cum quibus nonnulla habet communia ſymptomata, diſtinguere. Variæ quoque illius differentiæ, ſicut & cauſæ morbum producentes ſedulò inter ſe diſtinguendæ ſunt.

Aliquid habet commune inflammatio uteri cum inteſtinorum præſertim craſſorum; veſicæ urinariæ, & muſculorum epigaſtricorum inflammatione: conformitatem & quamdam habet cum tumore uteri ſκirrhoſo, œdematoſo, cancroſo, & uteri colicâ febri conjunctâ; ab his tamen omnibus poteſt diſtingui. Et 1°. quidem licet inteſtinorum nonnullorum in-

flammatio, & symptomata illi conjuncta reperiantur in eadem, quasi infimioris corporis, regionis lineâ, sicut uteri inflammatio, ultima tamen hæc à priori distinguitur, ex eo quod simplici tactu augeatur dolor uteri affecti, non verò dolor qui in extremo coli aut recti intestini corpore ab inflammatione oriundus est. Prætereà in uteri inflammatione partis affectæ læsiones immediatè percipiuntur: sed in intestinorum inflammatione uteri functiones raro alterantur, sed adest vel sanguinis fluxus cum doloribus aut molestus admodum tenesmus.

2°. Inflammatio uteri distinguitur quoque ab ea quâ afficitur vesica urinaria, ob distinctarum & utrique parti propriarum functionum læsiones. Prætereâ percurrenda sunt ea quæ utrumque affectum præcessere, & tali examine dignoscitur pars affecta.

3°. Dum musculi epigastrici inflammantur, vel inflammatio visibilis est, vel lenissimo tactu intenditur dolor; nec videtur inflammatio uteri, nec illius dolor major evadit, nisi tactus sit paulò validior, nec uteri functiones necessariò alterantur, dum præcisè afficiuntur musculi epigastrici.

4°. Inflammatio uteri dolorifica est, &

febre acutâ & calidâ ſtipatur, nec dolent nec febrem accendunt tumores uteri ſkirrhoſi aut œdematoſi. 5°. Inflammatio uteri concomitantem febrem acutam, tumor verò uteri cancroſus febrem lentam; diſtinguuntur & quoque per ſymptomata utrique propria.

6°. Febris præcisè concomitatur inflammationem uteri, uteri verò colicam antecedit, vel ſubſequitur. Pulſus in inflammatione durus eſt, in colica alius: emiſſus ſanguis in inflammatione cruſtam habet albam, in colica ſincerus apparet: in inflammatione manuum tactu exacerbatur dolor, non ſic in colica.

Jam verò ad modum, quo & differentiæ & cauſæ ſeparatim diſtinguendæ ſunt. Et,

1°. Per tumorem circumſcriptum acuminatum, pulſatilem, dignoſcitur tumor phlegmonodeus: eryſipelatoſus verò per tumorem ſuperficiarium parùm renitentem & deurentem.

2°. Per parvum aut longum ſatis temporis ſpatium, dignoſcitur inflammatio recens & inveterata, vel potiùs confirmata.

3°. Per propria tantùm inflammationis uterinæ ſigna, vel per alia illis conjuncta, dignoſcitur utrùm morbus ſit ſimplex, vel complicatus.

4°. Si redundent totius corporis liquida, vel ſi augeatur globulorum purpureorum moles, vel ſi intendatur, utrorumque rareſcentia; dignoſcitur inflammationis uterinæ cauſam pendere aut à plethorâ univerſali verâ, aut à plethorâ globulorum, aut à plethora univerſali ſpuriâ.

5°. Si verò deficiant illæ redundantiæ generales, & intendatur reſiſtentia in vaſis partium utero proximarum, vel incendatur calor partis affectæ; tunc non arduum eſt dignoſcere cauſam morbi conſiſtere in plethora uteri particulari aut verâ aut ſpuriâ.

6°. Demum ſi defecerint omnes laudatæ jam cauſæ, & fuerint ſigna tumoris ſkirrhoſi, vel œdematoſi, aut cancroſi, vel præceſſerint incautæ applicationes remediorum aſtringentium, refrigerantium, &c. pro cauſâ accuſari poteſt præpeditùs regreſſus ſanguinis per ductus venoſos ab uteri ſubſtantiâ.

PROGNOSIS.

Ut inflammationis uteri prognoſis pateſiat, conſiderari debet vel in genere, vel reſpectivè ad varias circumſtantias. Si ſpectetur in genere, eſt morbus incom-

modus admodum, morbus, etiamsi ad sensum curetur, aliorum & variorum morborum parens, morbus curatu difficilis, & morbus tandem maximè periculosus.

1°. Namque calorem corporis immanem, dolorem gravem, febremque acutam, secum affert, tanquam totidem symptomata essentialia; præterea supprimit evacuationes uterinas, urinarias, intestinales admodum necessarias, & levamen tum sanis, tum ægris semper laturas. Hinc meritò habenda est uteri inflammatio pro morbo maximè incommodo.

2°. Licet ad sensum mitigentur, aut cessent ex toto illius symptomata, tempore quo durare solet, premuntur nunc vasa menstrualia, nunc lymphatica vicina, nunc canales venosi. Hinc vel suppressiones mensium, vel tumores lymphatici, œdematosi, vel skirrhosi, & venarum varices varii, unde licet sanata, morborum tamen variorum parens est.

3°. Non solum morbi acuties, symptomatum vehementia, & evacuationum suppressio, sed & quoque parùm à musculis sustentata uteri moles, resistunt facili hujus inflammationis curationi; quapropter morbus dici potest curatu difficilis.

4°. Nullum est pathognomonicum hujus morbi symptoma quod periculosum non sit, quantò magis morbus & ex illis omnibus & ex aliis simul conflatus vel productus, periculosus censendus est! hinc morbus est periculo plenus.

Verum licet hæc sit generalis uterinæ inflammationis prognosis, illa tamen variare solet respective ad varias circumstantias, à diversitate differentiarum & causarum non incongruè desumendas. Et,

1°. Quidem diversa tumoris inflammatorii natura diversum quoque indicat eventum: nam dum inflammatio uteri phlegmonodea est, plura vasa, vasa majora, & vasa magis profunda afficiuntur; hinc major dispositio ad abscessum, ad ulcus sordidum, ex quo, haud rarò sobolescunt corporis marcor, febris lenta, & vera phthisis, &c. Dum verò erysipelatosa est, minus portendit, illorum symptomatum periculum, sed citiùs convertitur, teste experientiâ, in gangrænam, morte certâ, terminandam.

2°. Omnes norunt, cæteris paribus uteri inflammationem universalem particulari esse magis periculosam. Hinc variat prognosis juxta variam morbi extensionem.

3°. Dum recens est uteri inflammatio,

& pauciora sunt symptomata & minus sæva, & minus portendunt periculum subsequentium morborum: ex adverso confirmata illius visceris inflammatio plura habet symptomata sæviora & magis apta aliis morbis producendis. Hinc eventûs differentia altera.

4°. Faciliùs plerumque curantur unius tantùm morbi symptomata, quàm cùm illa cum aliorum morborum symptomatibus conjunguntur. Hinc ratione compositionis, aut complicationis variat hujus morbi prognosis.

5°. Habito respectu ad causas, varia quoque est stabilienda prognosis. Nam adaucta humorum moles facilè tollitur, si cognoscatur; difficiliùs verò humorum spissitudo. Eorumdem rarescentia sequitur præcisè prognosim morborum à quibus pendet; universalis tamen difficiliùs, faciliùs particularis sanari potest, nisi hæc ultima sobolescat à causis venenatis nimis irritantibus, vulnerantibus, &c.

6°. Demum hujus morbi eventus varius est, vel illius prognosis solet variare, juxta varias causas regressum sanguinis præpedientes per canales venosos. Nam si tumores skirrhosi premant, difficilè sanatur morbus, si cancrosi, raro aut nun-

quam; si verò œdematosi, curationem admittit. Sic & quoque astringentium, inspissantium & refrigerantium effectus sæpè curantur in principio præsertim; raròaut nunquam, vel connata, vel adventitia illorum tubulorum venosorum angustia, aut laxitas inveterata, varices plerumque insanabiles necessariò laturæ.

CURATIO.

Hujus morbi indicationes curatoriæ in eo versantur, ut interruptus sanguinis, per uterina vascula, circulantis motus progressivus, liber prorsus reddatur, & inde producta symptomata gravia, omni opera sedanda sunt.

Hinc imminuenda est humorum moles, obtundenda eorum rarescentia immanis, compescendus est calor, dolor ægrè ferendus, mitigandus est.

Et ut optatos tantoperèque necessarios medicus obtineat fines,

1°. Venæ sectio statim instituenda est sæpiùs vel rariùs iteranda pro ægrarum viribus minus vel magis fractis & debilitatis, pro temperamenti & regionis diversitate, & symptomatum vehementiâ magis, minusve notabili. Hæc venæ sectio in alterutro brachiorum, vel in

utroque brachio iteratis vicibus, in principio præſertim celebranda eſt.

2°. Clyſteres refrigerantes, laxantes, & anodyni ſunt quolibet die injiciendi. Confici poterunt vel ex anaticis partibus olei amygdalarum dulcium, & decocti communis clyſterum, id eſt mercurialis, malvæ, brancæ urſinæ, &c. vel ex anaticis partibus aquæ hordei & olei olivarum recentis, vel ex ſolo lacte caprino, vel ex lacte vaccino quo incoqui poſſunt unciæ duæ vel tres butyri recentis, vel demum ſub ſequenti formulâ.

℞. Foliorum lactucæ, umbilici veneris, & biſmalvæ ſive althææ ana m. j. ſeminum quatuor frigidorum majorum ℥ß. coque in ſ. q. aquæ fontanæ. Colaturæ ℥viij. diſſolve pulpæ caſſiæ recenter è cannis extractæ, & olei roſacei ana ℥j. fiat clyſter injiciendus horâ commodâ.

3°. Pro potu ordinario inſtitui poteſt, vel lene decoctum pulli junioris, vel aqua hordei cum modicâ quantitate ſirupi limonum, vel leves aquæ minerales frigidæ, ſed quarum cruditatem prægreſſâ ebullitione, neceſſum eſt, tollere, aut corrigere, vel aqua decoctâ, cum

modicâ ſeminum frigidorum copiâ, vel demum ptiſana ſequenti formulâ præſcribenda.

℞. Foliorum acetoſæ, althææ & betæ ana m. j. ſeminum lini & fœnugræci ana ℥j. florum violarum & papaveris erratici ana p. iij. coque in ſ. q. aquæ fontanæ, colaturæ ℔ij. diſſolve nitri purificati ʒiß. fiat ptiſana.

4°. Horis nocturnis, & ut dolores graviſſimi ſedentur & ut quies miſerabilibus ægris gratiſſima acquiratur, præſcribendæ ſunt emulſiones communes cum ſirupis papaveris albi & nymphææ, &c. vel julepi refrigerantes & narcotici, ſub ſequenti vel conſimili formulâ præſcribendi.

℞. Aquarum lactucæ & portulacæ ana ℥ij. aquæ florum aurantiorum ℥iß. ſirupi papaveris albi ʒvj. adde ſirupi de nymphæâ ℥j. fiat julepus.

5°. Si perſeverent adhuc ſymptomata, venæ ſectiones de novo inſtituendæ ſunt & nonnumquam in talo, quæ mira præſtant, deinde purgationes, ſed plerumque leves, ſunt præſcribendæ, fomen-

tationes & quoque regioni hypogaſtricæ applicandæ & continuandæ, ſæpè proſunt & rarò nocent, conficiendæ nimirùm ex decocto radicum liliorum & althææ, foliorum malvæ, parietariæ, violarum, & chamomeli, ſeminum lini & fœnugræci, &c.

6°. Demum inſtituenda eſt diæta varia pro vario morbi ſtadio: in principio, urgentibus ſymptomatibus, diæta tenuis admodum & liquida ſit, depletis vaſis & primis viis expurgatis media convenit, ut cremores avenacei, hordei, oryzæ, ova ſorbilia, &c. & mitigatis ſymptomatibus juſcula & carnes pullorum permitti poterunt.

Verum licet jam exaratus curandi ſcopus, tanquam generalis & forſan non incongruus exiſtimari poteſt, illius calci ſubjiciendæ ſunt aliquæ animadverſiones. Et,

1°. Quidem morbus ille acutus eſt, brevia temporum ſpatia percurrit cum periculo, & ſæpè in affectus lethales convertitur. Hinc nullâ interjectâ morâ, preſcribenda ſunt appropriata remedia.

2°. Clyſteres licet tantoperè neceſſarii, ob uteri inflammationem illorum molem ægrè laturam in modicâ tantum doſi ſunt præſcribendi, & diutiùs ſi poſ-

ſibile eſt, retinendi, ut pote quod cataplaſmatum vices gerant.

3°. Dum maximè urgent & calor & dolor, & vigiliæ, julepis, emulſionibus & ptiſanis præſcriptis addi poterunt nitrum purificatum, ſpiritus ſulphuris, ſal ſaturninum & cœtera refrigerantia. Imò & laudanum aut ſolidum aut liquidum julepis præſertim addendum.

4°. Dum à ſubitanea lochiorum ſuppreſſione proficiſcitur morbus, pelle vervecinâ calenti involvenda eſt regio hypogaſtrica; dum in ſuppuratum abit, conveniunt lacticinia, & balſama varia; dum in gangrænam convertitur morbus, cardiacis protrahi poteſt ægræ vita brevis neceſſariò futura.

CAPUT III.

De Abortu. Morbi deſcriptio & definitio.

ABortus bifariam conſiderari poteſt, vel in quantum actualis eſt & confirmatus vel imminens tantum. Dum confirmatus eſt abortus, jam ante præfixum tempus excluditur fetus, atque adeò inania futura ſunt medicamina: hinc

de abortu confirmato nulla erit apud nos quæstio.

Examinabimus itaque tantum imminentem abortum eo nimirum fine, ut præcaveatur, vel quod idem est, ut tollantur symptomata quæ abortum minantur.

Jam ad eorum symptomatum examen accedamus ut pote quod in illorum cognitione consistat vera morbi descriptio.

Verùm ex illis symptomatibus alia sunt æquivoca, alia verò sinon univoca saltem tamquam magis certa spectanda sunt. Et,

1°. Percipitur sensatio ponderis in regione lumbari & in femoribus sensatio doloris, qui refertur vel ad os pubis, vel ad os sacrum vel ad binas illas ossium species, ad motus consuetos edendos ineptitudo aliqualis, aut saltem insolita segnities, inappetentia citra causam manifestam, rigores & horrores sæpè recurrentes, capitis dolor præcipuè circa oculos, &c.

2°. Hæc dum superveniunt symptomata mulieri gravidæ, à fine prioris graviditatis mensis usque ad septimum mensem, abortum quidem minantur, docente experientiâ: sed quia eadem deprehenduntur, vel consimilia prorsus, in

aliis affectibus, ut in principio variolarum, morbillorum, febrium malignarum, putridarum, intermittentium & præsertim in initio inflammationum variorum viscerum; ideò signa illa tanquam æquivoca consideramus. Præterea apparent aliquando quin succedat abortus, etiamsi nullæ instituantur cautelæ, nec ulla præscribantur remedia.

3°. Si verò his conjungantur jam recensenda signa, vel univoca, vel saltem longè magis certa habentur imminentis abortus signa seu symptomata.

4°. Talia sunt gravior uteri & lumborum dolor, spontaneus lactis aquosi per mammas fluxus, subitanea mammarum detumescentia, vel vividior solito fetûs contenti motus, vel ejusdem imminuta agilitas, & auctum velut pondus, saniosi, cruenti aut verè sanguinei liquoris per partes mulierum genitales effluxus parum interruptus, &c. hæc profectò signa imminentem satis aptè designant abortum.

5°. Verum hæc omnia signa ægrè poterunt intra strictos definitionis limites contineri; & certè juxta illa meliùs forsan describi, quàm aliter definiri potest imminens abortus.

6°. Nihilominus tamen sic liceat definire. Imminens abortus est ille mulierum

gravidarum ſtatus, cui à fine primi uſque ad finem ſeptimi, graviditatis menſis, conjunguntur ſpontaneus lactis aquoſi per mammas effluxus, ſubita mammarum detumeſcentia, gravis lumborum & uteri dolor, vividior aut extinctus quaſi embrionis motus cum liquoris ſanioſi, cruenti, aut ſanguinei per partes genitales effluxu.

Hæc definitio, licet ſolito prolixior, complectitur tamen ea ſola quæ eſſentialiter conſtituunt hujus morbi naturam.

Morbi Differentiæ.

Hujus affectus differentias deducemus à peculiaribus tantùm capitibus; à diverſitate nimirum ſymptomatum, ab eorumdem vehementiâ, à morbi ſimplicitate, & à cauſis diverſis.

1°. Itaque vel priùs ſupra notata ſymptomata apparent vel cum illis ſociantur poſteriùs recenſita, hinc imminens abortus æquivocus, vel univocus, penes nimirum diverſa ſymptomata.

2°. Vel exarata morbi ſigna lenia ſunt, vel gravia admodum & violenta, hinc altera differentia penes diverſam ſymptomatum vehementiam.

3°. Vel ſolius imminentis abortus ſigna, vel cum illis, diſtincta aliorum morborum ſymptomata ſui quoque præbent indicia : hinc altera differentia juxta ſimplicitatem & complicationem.

4°. Tandem non ab unâ tantum cauſa diſtinctâ & peculiari, ſed nunc ab hac, nunc ab illâ causâ, imò & ſæpè à variarum cauſarum concurſu ſoboleſcit malum. Hinc altera quoque differentia à cauſarum varietate depromenda, ſed de his inferiùs.

CAUSÆ.

Arduum profectò opus eſt unicam tantùm ſive peculiarem & diſtinctam cauſam aſſignare, vel quod idem eſt immediatam ſive proximam imminentis abortus cauſam indigitare.

Nihilominus tamen aliqualem conabimur aſtruere cauſam proximam nullam involventem contradictionem & quâ forſan præcisè poſitâ ponatur morbus, & quâ ſublatâ tollitur.

1°. Itaque imminens abortus eſt imminens, intra ſuperiùs præfixos temporis limites, fetûs excluſio.

2°. Sub duplici reſpectu fieri poteſt imminens illa excluſio, nimirum vel

quando fetus, cum involucris & secundinis cavitatem uteri jam liberè occupat, vel quando intra involucra reclusus, placenta adhucdum utero adhærescit.

3°. Verum de priori specie imminentis abortus, nulla scilicet arte vitandi nulla est quæstio; & si talem exclusionem subvertere posset aut orificii uteri angustia, aut præposterum medici auxilium, aut alia quævis causa, hoc nunquam fieri potest citra matris, aut fetûs, aut utriusque simul mortem certissimam.

4°. De alterâ itaque imminentis abortus specie curationem sæpè suscepturi, hic agendum est.

5°. Atque adeò causa illius proxima & immediata nihil aliud est quàm incipiens, vel imminens separatio placentæ ab uteri fimbriis, quibus alligatur. Hac quidem positâ causâ, ponitur morbus & cessante solet cessare.

Verum licet causa illa producatur à variis, & quasi numero indefinitis aliis causis, illas tamen omnes majoris perspicuitatis gratiâ deducemus ex distinctis capitibus, ex vitio nimirum fetûs, ex vitio uteri, ex vitio humorum per uterum circulantium, ex animi passionum intensione & demum ex majori causarum externarum violentiâ. Et,

1°. Quidem multiplex eſt uteri vitium cujus ratione imminet placentæ ſeparatio, illius ſcilicet viſceris cunvulſiones, illius laxitas præternaturalis, connata illius, vel adventitia prorſus anguſtia. His enim vel placenta convellitur, vel laxior fit illius nexus, vel fetus ad majores anguſtias reducitur & hinc, vel illius mors, vel ſi fortis ſatis eſt, conatus varii; unde incipiens placentæ ſeparatio.

2°. Si fetus innatâ diſpoſitione, vel morbo à matre communicato afficiatur; & inde vel marceſcit, vel grandior ſolito evadit, vel moritur. Hinc imminens placentæ ſeparatio, atque adeò imminens abortus.

3°. Si redundent nimis liquida in utero ut in plethora aut univerſali aut particulari, uteri fimbriæ complanantur. Hinc imminens placentæ ſeparatio, vel ſi deficiat copia illorum neceſſaria, ut in matrum inedia, &c. Hinc fetûs & placentæ marcor, ſiccitas, imminuta moles; unde imminens placentæ ſeparatio, &c.

4°. Iram, gaudium, timorem, triſtitiam, cæteraſque ſubitaneas & violentas animi paſſiones ſequitur ſtatim violentus, ſubitaneus, tumultuarius humorum motus, vel ſubitaneæ ſolidorum criſpaturæ. Hinc imminens placentæ ſe-

paratio, atque adeò imminens abortus.

5°. Gravia nimis pondera, ſaltationes immoderatæ, curſus, equitatio, vectio nimis violenta, vehemens muſculorum epigaſtricorum motus, ſternutationes, vomitus, ictus, vulnus, contuſiones; illæ inquam & conſimiles cauſæ numero indefinitæ, placentæ ab utero diſtractioni fiendæ ſaltem anſam præbent.

Sic & quoque remedia acria, vulnerantia, vel nimis purgantia, idem quidem præſtare poſſunt, ſed non ſine ſummo matrum periculo, quæ non raro his utuntur auxiliorum ſpeciebus ut indignè comparatum indigniùs adhuc fetum enecare conentur. Sæpè tamen ipſæ, actibus debitas luunt pænas, propriam ſcilicet, ſed non optatam, accerſendo, mortem. Mulier enim unicum eſt, quod ſciam, animal, quod prolis mortem ultro præcipitat teſtante poëtâ. Mulier eſt,

Quæ prima inſtituit teneros avellere fetus
Nequitiâ fuerat digna perire ſuâ:
Hæc neque in Armeniis tigres fecere latebris
Perdere nec fetus auſa leæna ſuos.
At teneræ faciunt, ſed non impunè puellæ:
Sæpè ſuos utero quæ necat, ipſa perit.

SYMPTOMATA.

Ex variis ſymptomatibus hunc morbum concomitantibus præcipua magis juvat explicare, qualia ſunt ſenſatio ponderis dolorifica in regione lumbari, & in femoribus dolor ad os ſacrum & os pubis referendus, ſegnities ad motus conſuetos edendos, rigores & horrores, ſpontaneus lactis aquoſi per mammas effluxus, adauctus fetus motus, vel maximè imminutus, ac ponderis ſenſatio, & tandem fluxus liquoris diverſæ naturæ per partes mulierum genitales.

1°. Itaque dum imminens eſt abortus & ſuccutitur placenta, uteri ligamenta multifariam diſtrahuntur, in illis intercipitur humorum motus, hinc ſtaſes & inde nervorum diſtractiones in partibus quibus ligantur uteri ligamenta. Hinc ſenſatio dolorifica ponderis in lumbis, in femoribus, in inguinibus.

2°. In imminente abortu gravidus mulierum uterus, quaſſatus, fertur violentiùs ſolito vel verſus os pubis, vel verſus os ſacrum, vel verſus utrumque aut ſimul aut ſeorſim, hinc ſubitaneæ diſtractiones, atque dolores ad laudatas partes referendi.

3°. Dolores patiuntur affectæ mulieres, pondera persentiunt varia in utero, lumbis, femoribus, &c. Hinc non mirum si detur summa segnities ad motus voluntarios edendos.

4°. Rigores & horrores sequuntur subitaneos, & violentos succussus nervorum; & subitaneas liquorum stases, quibus & frigoris & irritationis subitæ conjungitur sensatio.

5°. Subitaneus & præsertim spontaneus, est lactis nondum confecti effluxus per mammas, quia in uteri distractionibus tendunt fluida ad uterum majori copia, hinc mammarum subsidentiâ, & liquidi lactei parum confecti effluxus.

6°. Si vigeat fetus vis, pressus & agitatus conatus edit varios varieque sese volutat, vel ut è carcere liberetur, vel ut commodiorem situm, majoremve tranquilitatem captet, hinc vividior fetus agitatio & motus: si vero vel debilis admodum fuerit, vel mortuus, hinc maximè imminutus, vel nullus futurus est illius motus, sed ponderis sensatio notabilis.

7°. Tandem ex variis uteri agitationibus, minus resistentia vasa vel uteri, vel vaginæ, vel involucrorum, vel placentæ, rumpuntur, ea verò plerumque

lymphatica ſunt, cum minoribus ſanguiferis intertexta, deinde adaucto uteri partiumque vicinarum conamine & motu plura, pluraque ſanguinea vaſcula rixim patiuntur; hinc victâ orificii uterini reſiſtentiâ humorem nunc ſanioſum, nunc cruentum, nunc verè ſanguineum per partes mulierum genitales manare neceſſum eſt & ſolemne.

Alia quidem dantur hujus morbi ſymptomata ſed hæc vel parum notabilia ſunt, vel ex iis quæ jam dicta ſunt facilè explicantur, vel fetum in utero mortuum, vel nulla arte vitandum reſpiciunt abortum, ſed de illis circumſtantiis diſſerere non propoſuimus.

DIAGNOSIS.

Hic profectò morbus novis non indiget ſignis ut dignoſcatur, nam ex dictis in deſcriptione, definitione, differentiis, &c. clara illius delineatio haberi poteſt: nihilominus tamen ut propoſitæ conſuetudini obtemperemus, juvat illum affectum diſtinguere ab omni alio morbo, cum quo ab incautè agentibus poteſt confundi, & deinde diverſæ illius ſpecies, diverſæque cauſæ ſedulò inter ſe diſtinguendæ ſunt.

Aliquid

Aliquid habet commune hic morbus cum doloribus rheumaticis lumborum, & femorum; cum vaporibus hyſtericis, in quibus adeſt ad motum ſegnities; cum principio inflammationum & febrium intermittentium in quibus apparere ſolent horrores & rigores; & tandem cum fluore menſtruali, &c. verum ab iis omnibus facilè diſtingui poteſt. Et,

1°. Diſtinguitur à doloribus lumborum rheumaticis, dolores enim illi plerumque chronici ſunt: dolores verò abortum imminentem determinantes acuti ſunt; præterea in prioribus nulla mutatio in uteri, aut mammarum functionibus per ſe: è contra in poſterioribus eſſentialiter illarum partium functiones læduntur, ut patet ex ſupra dictis.

2°. Vapores quoque hyſterici chronici ſunt, chronica & quoque illius ſymptomata: ex adverſo imminens abortus acutus eſt, acuta & quoque ſymptomata, ad motum ſegnities, &c.

3°. Licet in hujus morbi principio horrores & rigores ſæpè deprehendantur, ſicut & initio inflammationum, brevi ſuccedentia alia ſymptomata morbum determinant. Præterea dum imminet abortus, afficitur ſtatim vel uterus vel mammæ, & ut plurimum binæ illæ partes

quod in fientibus inflammationibus generalibus accidere non ſolet.

4°. Eodem ferè modo diſtinguitur hic morbus ab initio febrium intermittentium, quarum diſtincta, alioquin exiſtentia brevi poſt horrores & rigores, calore febrili cito terminante declaratur.

5°. A fluore quoque menſtruali diſtingui poteſt imminens abortus, quia fluor menſtrualis in gravidis plerumque ex vaginâ effluit; in imminente verò abortu ex uterinis vaſculis promanare ſolet. Præterea menſtrualis evacuatio in gravidis nec lumborum nec uteri dolores, ſaltem notabiles infert: ex adverſo fluxus liquoris variegatus, qui fit in imminente abortu lumborum, uteri, oſſium pubis & ſacri, &c. dolores tanquam comites habet individuos. Imò & tum uteri, tum mammarum affectus de quibus hactenus verba fecimus. Præterea periodicus eſt menſtrualis fluxus; non ſic de evacuatione imminentem abortum conſequente.

Jam ad ea quæ differentias & cauſas determinant. Variæ hujus morbi differentiæ facili etiam negotio poterunt diſtingui. Nam,

1°. Ex ſymptomatum varietate, id eſt ex exiſtentia ſymptomatum tantùm, priùs in deſcriptione indigitatorum, vel

ex complicatione posteriùs ibidem relatorum cum prioribus, dignoscitur utrùm imminens abortus sit æquivocus aut univocus.

2°. Ex minori vel majori symptomatum sævitie & vehementiâ dignoscitur utrùm morbus sit mitis aut levis, vel gravis sive violentus.

3°. Si solius hujus morbi symptomata sola apparuerint, vel cum illis alterius & quoque morbi symptomata sui præbuerint indicia, profecto dignoscitur utrùm imminens abortus sit simplex, vel complicatus.

4°. Quod spectat causarum diagnosim, stricto, eorum, quæ dicta sunt de causis, scrutinio, diversarum causarum notitia distincta innotescit. Sic,

1°. Si solius uteri labes deprehendatur, & præter naturam convellatur, vel hydrope afficiatur, vel juvenculas aggrediatur morbus, aut morbo prægresso, aut naturali temperamento exsiccatas & aridas: hinc uteri vitium pro causâ accusandum est, & vitium vel in convulsionibus vel in laxitate, vel in angustiâ consistere plus quàm probabile est.

2°. Si peculiaris nulla deprehendatur uteri labes, nec causæ inferiùs examinandæ sui præbuerint indicia, & alioquin de-

crescat fetus agilitas, & minuatur vel intendatur notabiliter uteri moles, contra consuetum graviditatis ordinem, verosimile est morbosam fetus dispositionem hydropicam vel marcidam abortûs imminentis causam esse: consimili disquisitione medicus certior fiet de causis morbum inducentibus, & utrùm illæ particulares vel complicatæ fuerint.

PROGNOSIS.

Ut vera tradatur hujus morbi prognosis, considerandus est abortus imminens vel in genere vel respectivè ad circumstantias varias; si spectetur in genere, morbus est periculosus quoad symptomata, plerumque lethalis quoad fetum, sæpè periculosus & non rarò lethalis quoad matrem.

1°. Dum intenduntur hujus morbi symptomata varia superiùs recensita, dolores scilicet varii lumborum, femorum, ossium pubis & sacri, febris, inappetentia, animi deliquium, &c. hæc inquam symptomata sæpè seorsim sumpta, periculosa sunt: dum itaque combinantur ut in imminente abortu solemne est, morbum profectò constituunt penes symptomata periculosum.

2°. Imminens abortus abortum realem habet necessariò, vel ut plurimum, brevi subsequentem. Verùm abortus actualis intra superiùs notatos limites mensium, arguit ferè semper vel actu mortuum, vel brevi moriturum fetum. Hinc abortus imminens plerumque lethalis est quoad fetum.

3°. Et hujus morbi symptomata, quæ graviora fiunt, & diù perseverant; & tandem tùm uteri, tum vaginæ dilacerationes inferunt, febres incendunt, immoderatas evacuationes producunt. Hinc pericula varia non raro lethalia, quoad matrem.

Hæc licet generalis sit imminentis abortûs prognosis, varias tamen habet variationes, si plurimæ spectentur circumstantiæ à differentiarum & causarum varietate depromendæ. Sic,

1°. Quo magis, fetûs exclusionem minantur symptomata, eò majus; quò verò minùs, eò quoque minus est morbi periculum: hinc imminens abortus cum æquivocis tantùm symptomatibus minùs, cum univocis verò magis periculosus habendus est.

2°. Dum lenia sunt symptomata, separatio placentæ ab utero remotior est; proximior verò dum urgent graviora sym-

ptomata. Hinc ratione ſymptomatum vehementiæ, variat quoque morbi prognoſis.

3°. Quò pauciora ſunt morborum diſcrimina, eò cæteris paribus, minus; quò verò plura ſunt, eò majus adeſt periculum. Hinc ſimplex imminens abortus minùs periculoſus eſt complicato.

4°. Demum variat hujus morbi prognoſis pro diverſitate cauſarum, ſic imminens abortus, qui à convulſione pendet uteri, ſequitur ejus convulſionis prognoſim, & periculoſior eſt illo, cæteris paribus, qui à laxitate proficiſcitur: ille verò qui anguſtiam habet pro causâ, diverſam habet prognoſim pro diverſis anguſtiæ gradibus, diverſiſque cauſis.

2°. Qui pendet imminens abortus à vitio fetûs, prognoſim habet diverſam, prout morboſa illius diſpoſitio magis, vel minùs periculoſa eſt.

3°. Si à redundantibus liquidis proficiſcatur, faciliùs plerumque ſanatur, quàm cum eorumdem penuriam agnoſcit pro causâ.

4°. Quò graviores ſunt animi paſſiones, eò magis vel intenditur humorum motus, vel criſpantur ſolida: hinc varia morbi prognoſis pro variâ intenſione animi paſſionum morbum producentium.

5°. Haud multùm dissimili ratione rationandum est de diversa abortûs prognosi dum à causis externis solet oriri. Hoc enim dici potest, quod dum causæ illæ minori agunt vehementia, minus; dum verò majori, majus sit periculum.

CURATIO.

Indicationes curatoriæ omnes in eo versantur ut placentæ separatio ab uteri fimbriis præcaveatur.

Verùm ut præscribenda auxilia optatos habeant effectus, præ oculis quantùm fieri potest, semper habenda est clara causarum idea: hac enim cognitione trita fit prorsus via, ad morbos sanandos omnes, qui curationem admittunt. Attamen in morbis præsertim acutis observanda est ratio symptomatum, non rarò pericula, minantium; juxta receptum & veritati consonum axioma, urgentiori succurrendum; & hoc profectò axioma, si alicubi locum habet maximè in imminente abortu, ubi & ut plurimum, certa est fetûs, & maximè periclitatur utero gestantis mors.

Verùm si hæc non penitùs urgeant symptomata gravia; causarum ratio sedulò ponderanda est. Hinc breviter percur-

rendæ ſunt cauſæ ſuperiùs allatæ imminentis abortus. Et,

1°. Quidem à vitio uteri oriundus imminens abortus, illi uteri vitio adaptata remedia ſunt inſtituenda. Sic dum à convulſione proficiſcitur, remedia conconveniunt convulſionibus profligandis congrua, dum à laxitate uteri exſiccantia conveniunt remedia, & demum dum ab anguſtiâ, appropriata laxantia in uſum vocanda ſunt,

2°. Si fetûs morboſa conſtitutio cauſa eſt, cauſa illa particularis, particularibus & quoque auxiliorum ſpeciebus debellanda eſt, ſi fieri poteſt. Sic ſi ab inediâ proficiscatur, curanda omni operâ matris inappetentia, & cibi faſtidium à quibus non raró proficiſcitur fetûs marcor. Diverſæ pariter animi paſſionum, morbum, producentium, naturæ, diverſæque cauſarum externarum vehementiæ proſpiciendum eſt.

Verùm dum morbus pendet à collectione humorum, in utero, quaſi ſtagnantium, dimovendus eſt ille cumulus ſub variis reſpectibus. Et,

1°. Quidem parcâ diætâ, cujus ratione minor generari ſolet humorum copia; venæ ſectionibus iteratis in brachio, quibus imminuitur exiſtens fluidorum abun-

dantia, & tandem moderato exercitio, quo inſpiſſata uteri liquida tenuia magis, magiſve fluida redduntur; nec omittendæ ſunt purgationes, ſæpè in graviditatis prægreſſu inſtituendæ, quarum auxilio, primarum viarum ſordes, inſpiſſationem inducturæ eliminantur, ſed ex leniorum claſſi ſeligendæ ſunt, ut

℞. Sennæ mundatæ ʒiß. rhei electi, & ſalis prunellæ ana ʒj. ſummitatum chamædryos p. ij. coque in ſ. q. aquæ fontanæ; colaturæ ℥vj. diſſolve mannæ Calabrinæ ℥iiß. fiat potio.

2°. Nec omittenda ſunt lenia narcotica, præſertim ſi contumaces fuerint vigiliæ, & ſanguinis ardor notabilis, ſub ſequenti formulâ præſcribenda.

℞. Aquæ portulacæ ℥iij. aquæ florum aurantiorum ℥j. adde ſirupi papaveris albi ℥ß. ſirupi de nymphæâ ℥j. fiat julepus.

3°. In principio præſertim fluxûs liquoris per partes mulierum genitales & abortum minantis, lenia conveniunt aſtringentia ſub formâ ptiſanarum opiatarum, &c.

Ptiſanæ confici poterunt ſub forma ſequenti.

℞. Radicum ſympyti majoris, biſtortæ, & tormentillæ ana ℥j. foliorum plantaginis m. j. roſarum rubrarum p. ij. coque in ſ. q. aquæ fontanæ; coletur, propotu ordinario, & ſervetur & iteretur.

Opiata inſtitui poteſt ſub formulâ ſequenti.

℞. Conſervæ roſarum ʒß. ſanguinis draconis veri ʒß. aluminis rupei pulverati gr. x. & cum ſ. q. ſirupi de roſis ſiccis fiat opiata pro unâ doſi, ſæpiùs iteranda.

Fomenta & quoque aſtringentia regioni lumbari utrique applicanda, modo conſueto imò & anticæ, regionis hypogaſtricæ parti, conveniunt ex vino rubro calefacto, cum roſis rubris, &c. conficienda.

4°. Dum vel fetus vel mater ſeorſim aut ſimul in abortu imminente, videntur debilitari, cardiaca ſunt in uſum vocanda, internè propinanda & externè applicanda, quorum formulæ omnibus notæ ſunt.

Hæc itaque, ob temporis anguſtias, ſit generalis imminentis abortus therapeia. Hanc tamen priùſquàm deſeramus nonnulla notatu ſanè digna, ſed & breviter curſim connotanda ſunt. Et,

1°. Quidem remedia jam præſcripta, aſtringentia, licet expectationi reſpondeant, dum lenia ſunt ſymptomata, dum parum notabilis eſt fluxus, dum placenta utero adhuc connexa eſt, nullius ut plurimum ſunt uſus, imò nociva ſunt evaſura, dum ſymptomata ſunt gravia, fluxus immanis, & præſertim cum actu ſeparatur ab utero placenta, in quo certè caſu, omni induſtriâ promovendus eſt abortus, ut fetus, ſi vivens eſt, aquâ baptiſmali conſpergatur, & mater à doloribus cæteriſque ſymptomatibus liberetur.

2°. Licet remedia laxantia ſub fomentorum, aut linimentorum formâ applicata regioni uterinæ alicujus ſint uſûs, in uteri anguſtiâ, & ſiccitate; hæc tamen in illo morbo penitùs acuto, votis rarò ſuccedunt, atque adeò extra graviditatis tempus, balnea, lacticinia, aquæ minerales, verbo omnia humectantia inſtituenda ſunt ut ſubſequens alioquin abortus præcaveatur.

3°. Eodem prorsùs modo ratiocinan-

dum eſt de tumoribus uterum anguſtantibus, ſi excipiamus tumores inflammatorios, qui diætâ tenui, venæ ſectionibus, narcoticis & refrigerantibus curantur, & tumores venereos qui etiam in gravidis quandoque ſanantur, ut vidimus in matronâ lue venerea laborante, quæ penitùs quaſi phthiſica apparuit, & tamen balneorum uſum paſſa eſt, & frictiones mercuriales ſeptimo, aut circiter graviditatis menſe, & perfectè ſanata fuit, & jam & mater & proles perfecta fruuntur ſanitate.

4°. Varia ſunt remedia, quæ à variis tanquam ſpecifica habentur, ab aliis verò alto ſpernuntur ſupercilio; horumce tamen uſum nec laudamus tanquam vera ſpecifica, cum antiquioribus variis; nec audacter damnamus cum benè multis inter neotericos: ſi enim cum prudentiâ in uſum vocantur, nec placenta ab uteri plicis ſeparata eſt, ſæpè profectò proſunt. Præterea ægrotantium imaginatio illorum exhibitione, dulci moderamine allicitur. Talia ſunt grana kermes, ſemen plantaginis, ſuccus urticæ, &c. Circa lumbos ferenda zona, ex equi marini corio, emplaſtra contra fracturas lumbis applicanda, &c.

CAPUT IV.

De partu difficili. Morbi descriptio & definitio.

PArtus difficilis varia habet symptomata conjuncta ex quorum combinatione sobolescit vera morbi descriptio.

Licet absque ullo notabili saltem symptomate morboso, fetus in utero reclusus, & alimoniam ut pars est sumens, integros novem mensium terminos, quorum fini exclusionem subnectere consuevit alma parens natura, nihilominus tamen vitali, sæpè non potitur aurâ, nisi post varia laborum & dolorum discrimina fetui aut matri, aliquando utrique, semper molestissima, nonnunquam lethalia.

1°. Enim intendunt lumborum dolores, dolores femorum; dolores inguinum, ossis pubis, & ossis sacri, &c.

2°. Accedunt gravia & vix tolerabilia uteri tormina, sæpiùs recurrentia.

3°. Micat præter naturam pulsus, accenditur febris, totum copiosè sudat corpus, apparet delirium, & robur solito notabilius, &c.

Verùm illa ſymptomata, ſi poſteriora tantum excipiamus, ſatis conſueta, imò & neceſſaria ſunt, ut fetus excludatur. Nam ex omnibus animalibus, unicum forſan eſt mulier quod in parturitione magis patitur. An hoc à primæ matris crimine proficiſcatur, an verò humano generi variarum miſeriarum in peregrinatione occurrentium tanquam ſpecimen inditum fuerit; aliis diſcutiendum relinquo, ut redeamus ad vera ſymptomata, parturitionem laborioſam, indigentia, qualia ſunt conatus ſive dolores languidi & rariùs recurrentes, virium debilitas, pulſus imminutio, ſudor frigidus, faciei pallor, extremorum frigus, animi deliquium, hæmorrhagiæ uterinæ, membrorum convulſivi motus, &c. Et hæc quidem ſunt ſymptomata quæ laborioſam ſtabiliunt parturitionem.

Verùm juxta numeroſa jam exarata ſymptomata difficilis ſeu laborioſa parturitio, nequit definiri; atque adeò breviori prorsùs modo definiatur:

Morbus ille in quo prægnans poſt ſtatutum à natura tempus, parturitionis ratione, male admodum afficitur aut penes ſymptomatum intenſionem, aut ſaltem penes eorum durationem.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Laboriosæ parturitionis differentias, licet varias, juvat deducere ex particularibus tantùm capitibus, ex diversitate scilicet symptomatum ex eorumdem intensione varia, ex morbi simplicitate, & ex causarum morbum producentium diversâ indole.

1°. Itaque vel priùs notata symptomata apparent, vel posteriora: hinc morbi differentia juxta symptomatum diversitatem.

2°. Vel symptomata hujus morbi etiam posteriora vel mitia sunt vel gravia admodum; & iterùm vel vehementia illorum symptomatum desumi potest, à diversis gradibus, vel à diversâ duratione: hinc altera differentia

3°. Vel solius parturitionis laboriosæ symptomata apparent, vel cum illis conjunguntur aliorum morborum symptomata: hinc iterùm altera differentia penes simplicitatem aut complicationem.

4°. Vel à vitio matris morboso vel à vitio partium genitalium aut vicinarum, vel à morbosâ fetus dispositione, vel ab animi passionibus proficiscitur parturitio laboriosa; hinc variæ quidem hujus mor-

bi differentiæ juxta causarum varietatem. Sed hæc omnia clariùs demonstrabuntur in proximâ lectione ubi de causis.

CAUSÆ.

Ut fiat partus naturalis, varia requiruntur, tum ex parte matris, tum ex parte fetûs: hinc partus multiplici ratione difficilis evasurus est prout auxilia requisita, aut simul aut seorsim defecerint.

Hinc unam atque peculiarem causam astruere, ad quam totuplex causarum genus referri potest, sive causam immediatam asserere, arduum profectò opus est; nihilominùs tamen talem juvat admittere, quæ & nullam involvit contradictionem, & quâ semel positâ, ponatur laboriosa parturitio, &c.

Sit itaque illa cujuscumque naturæ, resistentia matris, fetûsque conamina superans. Hæc autem resistentia à pluribus sobolescit fontibus; illos tamen claritatis gratiâ reducemus ad peculiaria capita, ad ea scilicet quæ vel à matre, vel à fetu, vel ab utero, aut partibus adjacentibus solent pendere.

1°. Itaque laboriosæ parturitionis causa est ipsa mater si nimis debilis sit, tum nativo temperamento, tum prægressis mor-

bis, adeòque edendis conatibus ad parturiendum requisitis, impar evadit; vel si gibba fuerit quia tunc distortum diaphragma, directo nisu, nequit in uterum vires exerere, vel si asthmate afficiatur, aut quomodocumque male affectos habeat pulmones; in illis enim casibus satis diù non retinetur aër in pulmonaribus vesiculis, quæ tamen retentio summè necessaria est & ad continuandos, & ad multiplicandos matris conatus parturitioni faventes: vel demum si materna mens sedulo versetur circa alia quæcumque objecta aliena, tùnc enim ad fetûs motus aut calcitrationes minimè attendens, vel nullos, vel languidos admodum edit conatus: hinc ex parte matris laboriosa parturitio.

2°. Parturitionis laboriosæ causa est ipsemet fetus, & modo multiplici.

Prava nimirum conformatio, si nempe moles grandior sit vel in toto corpore, vel in parte peculiari: inde est quod monstrosus fetus, fetus hydrocephalo correptus, vel cui caput aliunde grandius est, fetus humeris latus, vel abdomine tumens ægriùs emittitur, quatenus latiores vias ad exclusionem expostulat. Prava quoque fetûs conformatio sub altero concurrit respectu, tenerita-

tem ſcilicet vel ſpiſſitudinem membranarum propriarum inducendo, quia tunc citiùs, quam par eſt, effluet humor, & in ſicco relinquitur, vel ſpiſſa nimis ſecundinæ textura præpedit fetûs exitum.

Fetûs debilitas à quacumque cauſâ; nam debilis fetus nec motu nec calcitratione uterum poteſt ſufficienter ſtimulare ad contractionem, nec ipſe conatus edere ad exitum, &c.

Vitioſa fetûs poſitura, ut ſi loco capitis pedes aut manum alterutram offerat. Si clunibus, abdomine, ſcapulis uteri oſculo obvius eat, vel ſi duplicatus ſit.

Fetuum numerus auctus: ſic ſi binus aut trinus ſit in utero fetus, inde laborioſior parturitio.

3°. Partûs difficilis cauſa erit uteri, partiumque adjacentium vitium multiplex.

Sic dum nimis anguſtatur uteri capacitas, à quacumque cauſâ proficiſcatur: tunc libera negatur fetui exiturienti via.

Dum uteri ſubſtantia laxatur, fetûs motu, & calcitratione minus percellitur, & languidè ſeſe contrahit: hinc difficilis partus. Dum uteri orificium coarctatur vel à nimiâ pinguedinis, vel à malâ crurum conformatione, quâ aliquando femoris caput genitalia coarctat; vel à tu-

moribus in uteri collo, aut in vagina enatis.

Et demum dum uterus, aut aliqua illius pars comprimitur ultra modum ut ab alvinis fecibus induratis, à veſicæ urinariæ calculo grandiori, &c.

His & quoque addi poteſt conſtrictio illata uteri collo ut à frigore externo, à cicatricibus, vel à ſiccitate oriunda, ut primiparæ annoſæ accidere conſuevit.

Nec omittenda eſt uteri collocatio præternaturalis, quà vel verſus os ſacrum; vel verſus os pubis, vel nimis verſus latera fertur, præſertim juxta craſſam magis illius partem, & inde partum ſemper difficilem, ſæpè lethalem inducit.

SYMPTOMATA.

Parturitionis laborioſæ ſymptomata trifariam ſpectari poſſunt; alia enim antecedentia, concomitantia alia, & alia demum conſequentia dici poterunt.

Prima ſunt vel partûs naturalis ſymptomata magis forſan intenſa, atque adeò peculiari non indigent explicatione: præterea illa ferè omnia explicavimus dum de abortûs ſymptomatibus ſermo erat. Hinc concomitantia tantùm & ſubſequentia juvat explicare & ſeorſim.

Concomitantia ſunt virium debilitas, dolores languidi, & rarius recurrentes, pulſus imminutio, ſudor frigidus, faciei pallor, extremorum frigus, animi deliquium, hæmorrhagiæ uterinæ, convulſiones, &c.

1°. Itaque dum conatus matris aut fetûs aut utriuſque ſimul ſolito magis intenſi exercentur, nec obices, in cauſarum examine, explicatos, vincere poſſunt, vis muſculorum contractiva imminuitur, hinc virium debilitas.

2°. Dolores languidi ſunt, rariùſque recurrunt, quia vel cauſæ, dolores & irritationes promoventes minus energicæ fiunt, vel quia laſſatæ jam partes ægriùs & ſegniùs impreſſiones licet factas, ſuſcipiunt; vel demum quia anima timore percita parum attendit ad ea quæ conatus alioquin ſollicitarent. Hinc & parum notabiles & rariùs recurrentes dolores.

3°. Imminutâ muſculorum contractione & factâ majori liquoris nervalis diſſipatione, ut poſt iteratos, & inanes conatus fieri conſuevit, ſanguinem & minori copiâ, & minori impetu ad cor revehi neceſſum eſt: hinc imminutus duplex cordis motus, & inde imminutus binus arteriarum motus; unde notabilis pulsûs imminutio.

4°. Sudor eſt frigidus, quia quæ ad peripheriam corporis tumultuariè in doloribus truduntur fluida, accedente debilitate, tardiùs & ſegniùs revehuntur, & ob imminutum motum ibidem ſiſtuntur: unde hiatuum vel vaſorum cutaneorum laxitas: unde ſudor frigidus, faciei pallor, & extremorum frigus ex iiſdem cauſis deſumi poterunt.

5°. Adeſt animi deliquium, quia adaucta muſculoſarum partium debilitate, magis magiſque retardatur redux ſanguinis motus ad cor: hinc notabiliter imminuta cordis contractio, unde animi deliquium.

6°. Hæmorrhagiæ adſunt uterinæ, quia iteratis ictibus, motibus, conatibus, excerpitur cum violentiâ ab uteri fimbriis placenta, corion & amnios dilacerantur, & vaſa juxta orificium uteri poſita, rixim patiuntur: hinc hæmorhagiæ variæ.

7°. Motus fiunt convulſivi, vel quia, ab iteratis, licet inutilibus partium irritationibus, nervale fluidum præcipiti greſſu accedit ad nervos cerebrales: hinc validior & magis præceps illius refluxus ad muſculorum nervos; unde eorumdem motus convulſivi; vel quia feriantibus muſculorum contractionibus minus moventur nervi. Hinc major collectio

fluidi nervalis hiſpida magis illius ſuperficies, atque adeò violentior, & magis inordinatus nervorum motus, ſive convulſiones aut convulſivi motus.

Jam ad ſymptomata quæ ſæpè ſubſequuntur parturitionem laborioſam, quæ licet varia, reducimus ad dilacerationem partium inter vaginam & anum, ad præternaturalem pupillæ dilatationem, ad uterinorum vaſculorum vitia varia, & demum ad ſanguiferorum præſertim ejuſdem partis anevryſmata, aut varices.

1°. Itaque dum vegetæ ſunt & matris, & fetus vires, quantum fieri poteſt, fetus urgetur verſus illas vias: hinc & ponderis inaſſueti, & conatus iterati, & diſtractionis immanis ratione, ſegmentum anum à vaginâ ſeparans aliquando dilaceratur.

2°. Præternaturalis aliquando pupillæ dilatatio ſequitur partum difficilem, quia repetitis conatibus aër in pulmonibus diu retinetur, vena cava ſuperior inde comprimitur. Hinc ſanguinis ſtaſes variæ: in partibus ſuperioribus, notabiliores in partibus & à muſculis minùs ſuſtentatis, magiſque in parturitione agitatis, quales ſunt oculi; hinc dilatationes pupillæ ſæpè inſanabiles.

3°. Vitia ſequuntur uteri varia, quæ producuntur vel à diſtractione placentæ, vel à præpoſtero obſtetricum auxilio, vel à compreſſione vaſorum lymphaticorum aut laxitate & compreſſione ſanguiferorum vaſorum; unde inflammationes, ulcera uteri, ejuſdem partis tumores œdematoſi, skirrhoſi, cancroſi, venarum varices, & arteriarum anevryſmata, &c.

DIAGNOSIS.

Ex ſupra dictis in deſcriptione, definitione, differentiis, &c. patet hujus morbi diagnoſis; nec cum ullo alio, quod ſciam, affectu poteſt confundi; nam prægreſſo aut jam elapſo novimeſtris, ſtadio graviditatis, profectò accedentibus ſuperiùs allatis, concomitantibus morbum ſymptomatibus, parturitionem laborioſam eſſe liquido conſtat. Quapropter differentiarum & cauſarum diagnoſim aggredi juvat. Et,

1°. Quidem, ſi in deſcriptionis limine recenſita ſymptomata apparuerint tantùm, nec diù duraverint; ſymptomata morbi ſunt quadantenus æquivoca: ſi verò poſteriùs recenſita in eadem deſcriptione ſui præbuerint indicia, & ſi eorum duratio extendatur, ſymptomata ſunt ſatis

2°. Prout mitia vel gravia fuerint ſymptomata, dignoſcitur utrum morbus ſit lenis vel gravis, duratio quoque magis vel minus protracta infert diagnoſim morbi penes durationem.

3°. Dignoſcitur utrum morbus ſit ſimplex, aut compoſitus, ſive complicatus, prout ſolius parturitionis laborioſæ ſymptomata, vel illis conjuncta apparuerint alterius cujuſcumque morbi ſymptomata.

Paulò quidem difficilius eſt determinare cauſarum diverſitatem. Interim tamen per conjecturas ſatis probabiles illarum diverſitatem conabimur determinare. Et,

1°. Si mater debilis ſit, ſi gibba, delumbis, clauda, &c. & ſi deficiunt & fetus, & uteri vitia, &c. tunc mater ſola cauſa eſt parturitionis laborioſæ.

2°. Si prava deprehendatur fetûs conformatio quoad molem adauctam, vel in toto corpore, vel in aliquâ tantùm illius parte, ſi nota fuerit illius debilitas, ſi poſitura incongrua, aut demum ſi duo aut plures fetus in utero recludantur, & quod nihil peccet nec ex parte uteri, nec partium vicinarum, fetus cauſa erit parturitionis laborioſæ.

3°. Si uteri tota ſubſtantia conſtringatur, vel illius tantum orificium, vel illius

illius laxitas præternaturalis deprehendatur, vel si causis externis quibuscunque comprimatur, aut uteri, aut partium vicinarum labes, pro laboriosæ parturitionis causâ, accusanda est; accusandus & quoque pravus uteri situs cujus ratione fetus vel versus pelvis latera, vel versus aliam partem impetit.

Tandem si plurimæ ex laudatis causis simul combinentur, causarum complicatio accusanda est.

Superiùs indigitatæ causæ, vel sedulò medici examine, vel obstetricis aut chirurgi exploratione, & tactu solent dignosci.

Peculiares & quoque causæ poterunt dignosci modis peculiaribus. Sic,

1°. Intromissione digitorum dignoscitur uteri aut illius orificii constrictio, tumores varii, numerus fetuum, funiculi umbilicalis implicatio, longitudo, &c.

2°. Numerus verò fetuum adauctus alio & quoque modo dignoscitur per prægressa, per magis notabilem ventris elevationem, qui per medium quasi in duos tumores scindi videtur, variis & sæpè contrariis motibus qui in utero persentiuntur, & demùm ex majori matris ad motum impotentia, &c.

3°. Ex humorum fluxu longè ante par-

tum dignoſcitur ſecundinarum corrugatio, & fetûs ſiccitas. Ætas prægnantis vel nimis juvencula, vel annoſa nimis determinare videtur, vel viarum anguſtias, vel coriaceam quaſi conſiſtentiam. Propriis & diſtinctivis ſignis dignoſcitur fetûs mors, abolitione nimirùm motûs, majori pondere, fœtore inſigni, &c.

Si verò aggrediremur, cauſarum omnium remotarum magis, diagnoſtica ſigna, hoc profectò eſſet, hiſtoriam morborum, ſi non omnium, ſaltem plurimorum, theoriam examini ſubjicere.

PROGNOSIS.

Ut genuina innoteſcat laborioſæ parturitionis prognoſis, morbus ipſe conſiderandus eſt, vel in genere vel relativè ad varias circumſtantias. In priori caſu ſpectata parturitio laborioſa morbus eſt & quoad fetum & quoad matrem ſive gravidam, & quoad conſequentias ſemper periculoſus, ſæpè lethalis; nam,

1°. Supponamus fetum viventem & vegetum viribus propriis præditum, imò & à carceribus uteri nempè fimbriis, placentæ plicis, & involucris propriis liberatum: accedentibus tamen partûs difficilis ſymptomatibus variis, contractio-

nibus nimirum violentis, musculorum abdominalium, diaphragmatis, uteri, &c. variis modis volutatur, comprimitur, agitatur, resistentias varias patitur, uteri constrictionem, illius orificii angustiam, & compressionem, &c. hinc imminens & non numquam, imò sæpè reale periculum vitæ, &c.

2°. Iteratis conatibus mulieris gravidæ, dissipatur fluidum nervale, sopita redduntur liquida alia, lacessita evadunt solida, rumpuntur uteri & partium adjacentium vasa, accenditur febris, invadit delirium, vel tacito licet passu accedit minor contractio cordis, animi deliquium, feriatio functionum, unde periculum semper vitæ, sæpè mors matris.

3°. Si spectetur quoad consequentias, morbus profectò periculosus est; nam post se haud raro relinquit matrem, vel phthisicam, vel epilepticam vel oculis captam, vel febribus obnoxiam, vel hæmorrhagiis deditam, vel herniis, umbilicalibus præsertim, ob rupturam peritonei laborantem, &c. fetum & quoque sæpè relinquit, vel gibbum, vel claudum, vel delumbem, vel macie confectum, vel ultra modum debilem, &c.

Nec demùm utero videtur parcere, ut patet ex illius tumoribus ſkirrhoſis, œdematoſis, aut cancroſis, varicibus, anevryſmatibus, &c. hinc manifeſtum eſt parturitionem laborioſam morbum eſſe periculoſum & quoad matrem & quoad fetum, & quoad conſequentias, quod habuimus probandum.

Verùm licet illa ſit generalis partûs difficilis inſtituenda prognoſis; variat tamen pro diverſitate circumſtantiarum; & illæ circumſtantiæ deſumi poterunt præcipuè ex differentiarum, & cauſarum varietate. Sic,

1°. Minùs periculoſa eſt parturitio laborioſa quæ ſupra priùs notata ſymptomata tantùm habet conjuncta; magis verò periculoſa, dum poſteriùs examinata accedunt; hinc varia prognoſis penes diverſitatem ſymptomatum.

2°. Minùs, quæ mitiora, magis periculoſa parturitio, quæ gravia habet conjuncta ſymptomata, hinc altera prognoſeos varietas.

3°. Minùs eſt cæteris paribus, dum pauca ſunt, majus verò periculum dum plura ſunt ſymptomata: hinc varia prognoſis prout parturitio eſt ſimplex, vel complicata.

4°. Facile non eſt determinare diver-

ſam hujus morbi prognoſim reſpectivè ad varias præcisè cauſas, quia diverſi intenſionis gradus vitiorum matris, aut fetûs, aut uteri, poterunt diverſam ſtabilire prognoſim, in quacumque cauſâ reperiantur, vel quod idem eſt, ſive à matre, ſive à fetu, ſive ab utero proficiſcantur. Quapropter hæc tantùm generalia dicenda ſunt.

1°. Scilicet minus, cæteris paribus, periculoſa eſt parturitio in iis mulieribus, quæ hactenus peperere; magis verò periculoſa in primiparâ.

2°. Minus in bene valentibus, magis verò periculoſa inſtituenda eſt prognoſis in infirmis, &c.

3°. Tandem dum ab unicâ tantùm proficiſcitur cauſâ, minus; dum verò à variarum cauſarum concurſu, cæteris paribus, longè majus portendit periculum.

CURATIO.

Ut hujus morbi curatio inſtituatur, habenda eſt rerum variarum ratio: dignoſcenda nimirum eſt indicationis natura, cauſarum diverſitas, ſymptomatum varietas, variæ ætatis & temperamenti differentiæ, &c.

1°. Itaque quod ſpectat indicatio-

nes hujus morbi generales in eo verſantur omnes ut tollantur obices, variis conatibus aut fetûs aut matris, ſive gravidæ, aut utriuſque ſimul opponentes, vel quod idem eſt, ut conatus utriuſque intendantur. Hinc profectò cauſarum diverſitas examinanda; atque adeò,

2°. Si mater cauſa eſt laborioſæ parturitionis, examinandum ſedulò, in quo conſiſtat vitium maternum: ſi in debilitate, refocillandæ ſunt vires; ſi in gibboſâ conſtitutione, ſuppeditet ars quod natura negat, & hinc ſumma neceſſitas auxilii medico-chirurgi; eodem modo ratiocinandum, dum morboſa pulmonum diſpoſitio cauſa eſt laborioſi partûs. Tandem dum adeſt imaginationis læſio, dimovenda eſt perſuaſionibus blandis, colloquiis mellitis, exemplis, &c. Nam medico-chirurgi officium eſt animum addere & ſuaviter conſolari miſeras morboſas.

3°. Si proficiſcatur malum à pravâ fetûs conformatione, viæ ſunt laxandæ; ſi à debilitate, cardiacis exteriùs & interiùs inſiſtendum; ſi à pravâ poſiturâ & quod citra fetûs & matris damnum fieri poteſt, naturalis poſitura reſtituenda eſt, alioquin per pedes leniter eliminandus eſt: ſi tandem adauctus ſit fetuum nu-

numerus, laxandæ & inungendæ sunt viæ.

4°. Dum uterus laboriosæ parturitionis causa est, sedulo examinandum quale sit illud uteri vitium : si à pravo uteri situ, natales ducat, auxilia tentanda sunt, à clarissimo *Deventer* allata ; si à constrictione generali vel particulari, prospiciendum est causæ morbum producenti extra graviditatem, si dignoscatur, & graviditatis tempore si causa acuta est, &c.

Jam verò liceat examinare quæ necessaria sunt remedia, dum uterus laxatus est, dum fetus mortuus est ; & inde statim excludendus.

1°. Si mulier plethorica sit, si dolores immanes sint, & pulsus validus, venæ sectio instituenda & iteranda, prout necessitas urget.

2°. Deinde instituendus est clyster sequens non solum ut alvinæ feces evacuentur, sed ut uterus comprimatur, &c.

℞. Foliorum mercurialis, parietariæ & brancæ ursinæ ana m. j. coque in s. q. aquæ fontanæ, colaturæ ℔j. dissolve mannæ Calabrinæ ℥ij. fiat clyster.

Si clysterum ope non excludatur fetus, ad potiones purgantes refugiendum est.

℞. Sennæ Orientalis ʒij. tartari solubilis ʒiß. coque in s. q. aquæ fontanæ colaturæ ℥vj. dissolve mannæ Calabrinæ ℥ij. adde vini emetici ℥j. fiat potio.

Verùm si potionis carthartico-emeticæ beneficio, nec fetus vivens in utero laxato, nec mortuus, qualiscumque sit uteri conditio, excludi potest, etsi alioquin gravida debilitetur; hinc frequens sit, oportet clysterum cum vino emetico turbido, usus, & clysteri jam præscripto unciæ duæ, aut circiter, vini emetici addi poterunt.

At accedentibus gravidæ symptomatibus, veram debilitatem indigitantibus, mutandus necessariò est curationis ordo; loco enim evacuantium remediorum, calefacientia & cardiaca sunt instituenda.

Sic naribus approximandi sunt spiritus urinosi. Tempora confricanda Reginæ hungariæ aquâ vel spiritu vini; vel aquâ vitæ & consimilibus regio uterina leniter perfricanda, decocto chamæmeli, absinthii minoris, vel sabinæ, in vino rubro, &c. extrema frigida linteolis calidis perfricanda & involvenda, &c. Cardiaca & quoque intus assumenda

maximè conveniunt, qualia sunt aqua cinnamomi, aqua vitæ, & præsertim vinum meracum, quod præstantissimum cardiacum est illis præcipuè, quibus frequens vini usus ignotus est, vel tandem potio cardiaca sequens cochleatim sumenda.

℞. Aquarum scabiosæ & menthæ ana ℥iij. aquæ melissæ ℥j. confectionum alkermes & de hyacintho ana ʒj. salis viperini ʒß. adde lilii proprietatis Paracelsi g. xl. fiat potio.

Huic generali partûs difficilis curationi, juvat & nonnullas breviter subnectere annotationes. Et,

1°. Quidem dum nec remedia interna, nec externa optatos attingunt fines, ad auxilium manuale confugiendum est, imò & hoc solo laboriosi alioquin partus non raró feliciter terminantur: sed illud auxilii genus apud illos præcipuè reperiri potest, qui nec morbi causam nec gravidæ temperamentum, nec partium anatomiam ignorant; hinc summa medico-chirurgi necessitas.

2°. Dum nimis augetur aut in toto, aut in parte fetus moles, ita ut per uteri orificium trudi impossibile prorsus judi-

cetur, varii fetum enecare jubent ut ab orci faucibus liberetur gravida: verum talem methodum medico christiano indignam si ex professo non explodimus, ulteriori SS. Ecclesiæ disquisitioni & decisioni relinquimus.

3°. Verum si mortua est gravida & fetus vivat, ad cæsaream operationem, nullâ interpositâ morâ, confugiendum est, & forsan eadem operatio institui posset, ut extrahatur fetus vivens, dum prava illius conformatio impedit, quominùs per vias ordinarias excludatur. Operationis scopus haberi potest apud *Rosset* & *D. Deventer*.

4°. Varia quoque commendantur remedia proficua, imò & apud nonnullos specifica, dum gravida debilis est, debilis fetus, vel mortuus, vel laxatus est uterus, &c. Talia sunt cinnamomum, crocus orientalis, flores chamæmeli, borax officinarum, semen lavendulæ, sabina, decoctum artemisiæ, &c. ex quibus pilulæ, pulveres, opiatæ, vina medicata, ptisanæ, &c. efformari poterunt. Illa quidem remedia aliquando noxia, aliquando inutilia, & aliquando miræ sunt necessitatis.



CAPUT V.

De Immodico Lochiorum fluxu. Morbi descriptio & definitio.

FEtûs aut vivi aut mortui & ſecundinarum placentæ ſcilicet & propriorum involucrorum excluſionem ſequitur fluxus humoris ſanguineo-lymphatici, aut lymphatico-ſanguinei per mulierum pudenda, qui in ſtatu naturali indeterminata, ob diverſam regionem, diverſum temperamentum, & diverſam cauſarum energiam, dierum ſtadia, cum ſummo puerperarum levamine ſolet perſeverare.

Verùm ſi longè diutiùs perſeveraverit, vel immanis ſit illius copia, tunc morbum conſtituit, fluxûs lochiorum immodici nomine inſignitum.

Hujus autem fluxûs morboſi, vel quoad copiam adauctam, vel quoad durationem nimis protractam deſcriptio in ſymptomatum ſerie ſolet conſiſtere.

Hæc autem ſunt ut plurimum virium debilitas, pulſus imminutio, animi deliquium, faciei pallor, extremorum fri-

gus, eorumdem tumor œdematoſus, inappetentia, &c. Hæc profecto, vel parum abſimilia ſymptomata ſuperiùs indigitatum fluxum concomitantia, morbum efformant.

Quapropter illum juvat definire illam lymphatico-ſanguinei aut ſanguineo-lymphatici liquoris, per mulierum, quia puerperæ ſunt, pudenda evacuationem, quæ penes durationem nimiam aut copiam adauctam, aut utramque notabilem infert functionum læſionem.

Morbi Differentiæ.

Licet numero plures ſint hujus morbi differentiæ, illas tamen omnes à peculiaribus tantum juvat deducere capitibus, à diverſâ nimirùm morbi naturâ, à diverſa ſymptomatum ſævitie, à complicatione aut ſimplicitate ſymptomatum, à diverſâ humoris excernendi vel excreti naturâ, & demùm à cauſarum varietate.

1°. Itaque ideo fluxus ille morboſus eſt, vel quia ſolito major eſt illius copia, vel quia conſuetos durationis limites excedit. Hinc illius differentia penes diverſam naturam.

2°. Vel lenia ſunt vel gravia ſymptomata, hinc altera differentia penes ſymptomatum ſævitiem.

3°. Vel ſolius hujus morbi ſymptomata, vel cum illis aliorum & quoque ſymptomata ſolent apparere: hinc altera & quoque differentia penes ſimplicitatem vel complicationem.

4°. Nunc humor lymphaticus, nunc ſanguineus, nunc ex utroque mixtus.

5°. A pluribus cauſis vel ſeorſim, vel ſimul agentibus proficiſcitur fluxus catameniorum immodicus, ut videbimus ſtatim: hinc demùm alterius differentiæ ſcopus juxta cauſarum diverſitatem.

CAUSÆ.

Docuimus alibi immoderatum menſium fluxum pendere immediatè à vaſorum ſecretoriorum uteri amplitudine auctâ, & profectò numquam, quod ſciamus, poteſt determinari copioſior evacuatio fluidi per vaſa noſtri corporis, quin incerniculorum amplitudo fiat major; nam trifariam tantùm concipimus extra propria vaſa trudi liquida quæcumque, vel quia vaſorum oſculis frequentiùs ſolito offeruntur liquorum portiunculæ, vel quia eorumdem particulæ minores redduntur, vel demum quia vaſorum ora, aut orificia magis hiulca, patula

magis aut magis ampliata ſunt.

1°. Verùm vix concipi poteſt quomodo humorum particulæ vaſorum aperturis ſæpiùs ſolito offerantur, quin ora dilatentur.

2°. Dum tenuiores ſunt fluidorum partes, vaſorum ſpiracula ſunt reſpectivè ſaltem ampliora.

3°. Abſolutè diducta ſeu ampliata ſunt vaſorum orificia. Hinc pro cauſâ fluxûs immodici lochiorum proximâ aut immediatâ admittimus vaſorum ſanguineorum, aut lymphaticorum aut utrorumque ſimul amplitudinem naturali majorem : hac enim ſemel poſitâ cum requiſitâ humorum copiâ, quæ conditio requiritur, ponitur, & ſublatâ tollitur fluxus ille.

Ampliantur quidem illorum vaſorum orificia à cauſis quaſi indefinitis : illas tamen omnes ad peculiares tantum juvat reducere, ad majorem nempè humorum copiam, motum velociorem, partium humores conſtituentium, diviſionem, & vaſorum rixim.

1°. Itaque augetur humorum copia in utero, vel quia plethora eſt univerſalis in toto corpore, vel quia ob partium adjacentium obices, obſtacula, obſtructiones, determinatur neceſſariò major

illius copia ad uterum; vel tandem quia præpeditur recursus humorum per ductus venosos.

Causæ plethoræ universalis sunt variæ, major chyli copia, imminuta liquorum secretio, vita sedentaria, &c.

Partium adjacentium vitia varia producunt inspissata liquida, constricta vasa, compressa, collapsa, &c.

Præpeditur liquorum ab utero regressus venarum obstructione, compressione, constrictione, collapsu, &c.

Causæ verò remotæ harumce causarum, vel levi datâ occasione poterunt innotescere.

2°. Adaugetur in utero humorum motus, vel quia augetur in toto corpore, vel quia causarum particularium ratione, in utero peculiariter augetur. Motum in toto corpore augent, calor universalis, febris, &c. in utero contractiones uteri, motus fetûs, illius calcitratio, separatio placentæ, apertio præternaturalis variorum vasorum uteri, &c.

3°. Humorum partes dividunt & attenuant variæ causæ, prægressæ exercitationes violentæ, constitutio aëris calida, major vis vasorum systaltica, præposterus cardiacorum, chalybeatorum, mercurialium remediorum usus, balneorum cali-

dorum, liquorum ſpirituoſorum abuſus, & tandem uteri contractiones, compreſſiones, commotiones variæ, quæ parturitionem laborioſam neceſſariò concomitantur, &c.

4°. Demum vaſa uterina rumpunt quàm plurimæ cauſæ, motus & calcitrationes fetûs, contractiones validæ muſculorum epigaſtricorum & diaphragmatis, violenta ſeparatio placentæ ab uteri fimbriis, ſive à cauſis abortum producentibus, vel in laborioſâ parturitione, ab imperitâ obſtetrice natales ducat. Debilitas vaſorum uterinorum aut connata, aut in abortu, aut difficili partu acquiſita; & tandem eroſio uterinorum vaſorum, à pure, injectionibus acrioribus, acrive humorum diſpoſitione, aut diatheſi, oriunda, &c.

SYMPTOMATA.

Ex variis ſymptomatibus hunc morbum concomitantibus, ſuperiùs tantum, in deſcriptione relata, explicationi ſubjicienda judicamus.

1°. Debilitantur vires quia conſequenter ad fluxum immodicum, nimia excernitur lymphæ, aut ſanguinis, aut utriuſque ſimul copia, per hiatum uterinum; hinc minor vaſorum repletio

minor & quoque fibrarum nervosarum, & musculorum imminuta elasticitas, atque adeo debilitata contractio, unde virium debilitas.

2°. Imminuitur pulsus quia redux minor humorum copia, minus cordis ventriculos dilatat: hinc minor eorum contractio, quam sequitur imminuta diastole & systole arteriarum; hinc imminutio pulsus.

Animi fit deliquium, quia intenso lochiorum fluxu, magis, magisque imminui cordis motum necesse est; hinc animi deliquium.

4°. Pallet facies, quia ad illam partem, sicut & ad cæteras partes, peripheriam corporis constituentes, & minori copiâ & minori impetu truduntur fluida ob fluxum lochiorum immodicum, hinc faciei pallor.

5°. Frigent extrema, quia imminuitur in illis & copia liquidorum, & eorumdem motus: hinc minor calor, & majus frigus.

6°. Tumor adest extremorum œdematosus, quia vasa præsertim lymphatica laxantur; hinc eorum collapsus, atque adeò obices varii segniùs solito circulanti lymphæ, hinc illius hærentia, unde tumores œdematosi.

7°. Imminuitur appetitus alimentorum, quia proportione reſpectivâ ad fluxum immodicum ſuccum ſtomachalem imminui & quoque neceſſum eſt: hinc minor vibratio fibrillarum nervearum ventriculi, vel, quod faciliùs crediderim, quia imminutâ liquorum circulantium mole per ventriculi vaſa, laxitas vaſis accedit; hinc illorum vaſorum imminuta corrugatio, atque adeò minus ſenſibilis famis ſenſatio, &c.

8°. Demùm nunc in fluxu immodico lochiorum humor merè ſanguineus, nunc lymphaticus, nunc ſanguineo-lymphaticus, vel lymphatico ſeroſus effunditur, prout aut vaſa ſanguifera, aut lymphatica ſeorſim aut ſimul dilatantur aut rumpuntur, & prout ex illis plura, ex his verò pauciora rixim patiuntur.

DIAGNOSIS.

Ex ſupra quidem dictis in deſcriptione, definitione, differentiis, &c. ſatis apprimè patet hujus morbi diagnoſis, nec cum alio confundi poteſt ſtatu morboſo. Puerperis enim accidit ſtatim poſt partum, quæ tunc rarò aut numquam patiuntur purgationes menſtruales, quarum vehiculum ad mammas derivatur,

lac ex majori parte producturum, recens natæ proli alimoniam ſuppeditaturum; cum fluore itaque menſtruali nequit confundi, cum quo forſan ſolo videretur habere aliquid commune.

Paucis itaque examinemus modos juxta quos & differentiæ & cauſæ variæ dignoſcantur. Hinc,

1°. Vel per majorem copiam intra datum tempus, vel per majorem ſeu diuturniorem fluxûs perſeverantiam (remanentibus ſemper morboſi affectûs ſymptomatibus) dignoſcitur utrùm ille morbus pendeat, vel ab auctâ notabili copia, vel ab illius fluxûs duratione: hinc una differentia penes diverſam morbi naturam.

2°. Per ſymptomatum diverſos intenſionis gradus, dignoſcitur utrùm illa ſint lenia aut mitia, vel fortia, ſive gravia.

3°. Ratione tantùm propriorum, vel per propriorum ſimul & alienorum morborum ſymptomata dignoſcitur utrùm morbus ſit ſimplex aut complicatus.

4°. Ex diverſo colore fluidi excreti ſatis aptè dignoſcitur utrùm fluidum illud ſit ſanguineum aut lymphaticum, ſanguineo-lymphaticum, vel lymphatico-ſanguineum.

5°. Diversæ quidem hujus morbi causæ paulò difficiliùs innotescunt; interim tamen diligenti examine non raro deteguntur. Sic,

1°. A plethoricâ mulieris constitutione aut partium utero vicinarum, obstructionibus skirrhosis, œdematosis, inflammatoriis, &c. dignoscitur utrùm morbus procedat à plethorâ universali, aut uteri tantùm.

2°. Ex calore nimio, febre sæviente, vel uteri agitationibus variis, &c. dignoscitur auctum humorum motum causam esse.

3°. Et ex constitutione ægrarum, & ex prægressis dignoscitur humorum divisio, quæ aliquando morbi fomes est.

4°. Ex abortu violento, aut parturitione laboriosâ, aut obstetricis ignorantiâ, aut incuriâ, aut noto uteri abscessu, aut ulcere, &c. dignoscitur vasorum uterinorum dilaceratio, ampliatio, &c. Tandem ex unius tantùm causæ, vel plurimarum signis dignoscitur utrùm à causis peculiaribus, aut à plurimarum causarum concursu procedat fluxus lochiorum immodicus.

PROGNOSIS.

Morbosa & præsertim immodica omnis hæmorrhagia periculosa est, quia illius ratione sanguinis præstantissimum vitæ fulcimentum exhaustum est : hinc immodicus lochiorum fluxus periculosus habendus est. Præterea ex aliis quoque capitibus hujus morbi periculum potest depromi, ex evacuatione nimirùm fluidi lymphatici, quâ humorum reparatio imminuitur, eorumdem diathesis alteratur, & secretiones omnes tantopere necessariæ supprimuntur, & ex ægrotantium statu; accidit enim fluxus ille mulieribus, quarum vires jam fractæ sunt, penes symptomata gravia, quæ jam passæ fuere, vel in abortu, vel in partu difficili.

Hæc tamen prognosis generalis fluxûs immodici lochiorum variare solet juxta circumstantias varias. Et,

1°. Fluxus ille qui sequitur partum, minus periculosus est illo, qui ab abortu proficiscitur, in quo plerumque magis violenta est & vasorum plurimorum dilaceratio, & inde suppurationes plures pluresque humorum corruptelæ.

2°. Exinde quoque sequitur minus periculosum illum esse qui à simplici li-

quorum labe, ſimplicem vaſorum rixim productura, magis verò alterum qui ab eroſione ſoboleſcit.

3°. Lochiorum fluxus in quo leniora ſunt ſymptomata, minus, majus verò periculum portendit cum gravia fuerint, ut omnibus notum eſt.

4°. Cæteris & quoque paribus, minùs periclitantur puerperæ, hoc fluxu ſimplici laborantes, magis verò dum aliis morbis conjungitur.

5°. Variat & quoque dicta prognoſis pro diverſitate cauſarum. Sic,

1°. Qui ab humorum rareſcentia faciliùs, cæteris paribus, curatur, difficiliùs verò ille lochiorum fluxus qui ab humorum ſpiſſitudine proficiſcitur : leviori enim operâ ſedari poteſt humorum motus; difficiliori ſolvitur liquorum textura inſpiſſata.

2°. Si ſpiſſitudo recens ſit & parum notabilis, profectò citiùs faciliuſque tollitur, quàm cum rareſcentia eos attigerit gradus, ut humorum diſſolutio quaſi perfecta ſit, quo quidem in caſu plurimum periclitatur puerperæ vita.

3°. Variat etiam hujus morbi prognoſis, ratione plethoræ univerſalis, aut particularis : ſed determinare non facile eſt diſcrimen, ut pote quod à cauſis

variè agentibus, depromi possit.

4°. A diversis vasorum uteri, dilacerationibus nova & quoque exsurgit prognoseos differentia.

5°. Demum fluxus lochiorum immodicus, qui consistit in duratione tantùm facilius, difficiliùs verò, cæteris paribus, ille qui in immani consistit copiâ; prior enim species, tempus admittit sufficiens, ut remedia congrua applicentur: posterior verò citò & cum summo periculo sua percurrit stadia.

C U R A T I O.

Indicationes hujus immodici lochiorum fluxûs in eo consistunt ut fluxus ille sistatur: verum nusquam sisti potest prudenter, nisi priùs habeatur notio causarum foventium. Sic,

1°. Dum pendet ab humorum rarescentia, viribus perseverantibus, venæ sectiones, refrigerentia, & anodyna conveniunt, sub variis formulis præscribenda.

2°. Si à plethorâ pendeat universali, imminuenda est humorum massa, modo alibi fusiùs explicato.

3°. Si pro causâ agnoscat nimiam humorum tenuitatem summè proficua sunt incrassantia.

4°. Si particularis uteri plethora morbum foveat, plethora illa pendeat à partium vicinarum obicibus, illi obices omni operâ dimovendi sunt.

Verùm licet illa auxiliorum genera maximè indicentur ad destruenda varia fluidorum vitia quæ huic morbo producendo aut saltem fovendo faveant, alia tamen in usum vocanda sunt ob symptomatum naturam, & acutiem morbi: hinc refocillandæ sunt vires & vasa nimis hiulca leniter astringenda, aut adducenda sunt.

Instituatur itaque præprimis diæta, eaque in principio tenuis: vescatur itaque ægra cremoribus oryzæ vel hordei, ossis, panatellis, ovis sorbilibus, &c.

Si verò diutiùs perseveraverit, diæta fortior instituenda est, qualem in laudato casu, constituunt gelatinæ ex cornu cervi, caponibus, perdicibus, vel vitulinis pedibus confectæ, carnes vervecinæ aguinæ, pulli juniores, &c.

Pro potu ordinario instituatur ptisana sequens.

℞. Radicum symphyti majoris & tormentillæ ana ℥ij. coque ad quartæ partis consumptionem in aquæ fontanæ ℔vj. sub finem coctionis adde rosarum

rosarum rubrarum & florum calthæ ana p. ij coletur fiat ptisana.

Jusculum & quoque convenit bis in die sumendum.

℞. Radicum althææ & bistortæ ana ℥j. foliorum plantaginis & sanguisorbæ ana m. j. coque cum pullo juniori: fiat jusculum.

Solâ hac vel consimili diætâ haud rarò sanatur fluxus lochiorum immodicus; sed si non suffecerit ad remedia fortiora confugiendum est; hæcque ex cardiacorum & astringentium sinu depromenda sunt, & sub variis formulis præscribenda.

Qui Cardiaca voluerit præscribere, fractis puerperarum viribus, ea reperiet in curatione morbi prægressi, parturitionis scilicet laboriosæ, & astringentia. Cap. III. 1. Section. ubi de immoderato mensium fluxu; illa itaque hic repetere & explicare supervacaneum existimamus.

Hujus tamen curationis calci nonnulla juvat subnectere. Et,

1°. Quidem, deberet semper haberi ratio, regionis, ætatis, temperamenti,

N

&c. nam licet maxima ſit copia excreti humoris, & licet fluxus diù perſeveraverit, non tamen ideò ſunt præſcribenda remedia; nam præter quàm quod ſola, ut ſupra dictum eſt, diæta ſufficiat, regio humida, ætas juvenilis & temperamentum plethoricum, talem facilè patiuntur fluxum, illumque deſiderare quaſi videntur; hinc non niſi, ſymptomatum, ab illo fluxu præcisè oriundorum notitiâ certâ remediis inſiſtendum eſt.

2°. Tametſi, habito reſpectu, ad ſymptomata corporis debilitatem indicantia, & evacuationem adauctam, præſcripta ſuperiùs ſunt præcipuè cardiaca, & aſtringentia, habenda tamen ſemper eſt ratio temperamenti, & diſpoſitionis ſanguinis, ita ut remedia illis convenientia, cæteris maritari poſſint. Sic dum ſanguinis conſtitutio ſpiſſa eſt, & coacta, cardiacis & aſtringentibus, lenia incidentia ſunt miſcenda; dum acris, diluentia, inviſcantia, & incraſſantia, cardiacis & aſtringentibus methodicè maritanda ſunt, & ſic de cæteris.

3°. Nec omittenda prorſus ſunt remedia particularia, quæ licet ſemper optatos non attingant fines, ſæpè tamen mirè proſunt; qualia ſunt ſpongia combuſta ac trita, vino commiſcenda, urticæ ſuccus, ſter-

cus mulinum, aut asininum combustum cum appropriato liquido, &c.

4°. Et ut proximè prægressi articuli veritas demonstretur, liceat hic, sed breviter, referre duas observationes.

Observatio prima.

Hujus civitatis mulier, triginta aut circiter annos nata, post partum, lochiorum immodico fluxu per viginti dies ita laborabat, ut præsens apparuerit vitæ discrimen, tantoque magis, quod plurima remedia præscripta fuere à practicis exercitatissimis, sed sine ullo successu; hinc in consilium vocatis aliis medicis, omnium junior (factâ paritate inter illum fluxum, & evacuationem dysentericam) ipecacuanham proposuit & illius remedii ope, incantamenti adinstar, sanata fuit puerpera.

Observatio secunda.

Mulier nobilis, viginti aut circiter annos nata, post partum difficilem immuni adeò lochiorum fluxu afficiebatur, ut ab astantibus in vitæ brevi amittendæ periculo judicaretur; nec profuere cardiaca ulla; unde statim obvolutum fuit

totum illius nudum corpus linteolo, acerbo aceto plurimum madefacto, quo ſubito ceſſavit fluxus, & ſanitati priſtinæ gradatim reſtituta fuit.

CAPUT VI.

De Lochiorum ſuppreſſione. Morbi deſcriptio & definitio.

TOto graviditatis tempore & præſertim ſuppreſſâ menſtruali purgatione colliguntur in utero fluida, quorum maxima pars nutriendo fetui ſolet inſervire, ſuperſtes verò, vel liquoribus per viciniam circulantibus permiſcetur, ſtrages nonnunquam productura, vel in vaſis permanens, eorumdem actionem variam, varie ſolet labefactare: hinc neceſſitas illius evacuationis poſt partum, quæ cum naturalis eſt, nil mirum, ſi puerperæ ſolamen afferat.

Hinc ex illius ſuppreſſione non minùs gravia ſoboleſcunt mala, quàm ex ejuſdem immodico fluxu; unde morbum, eumque ſæpè periculoſum conſtituit, cujus deſcriptio ex ſymptomatum ſyndrome deducenda eſt.

Hujus autem morbi ſymptomata varia ſunt, alia nempè ſunt omnibus cognita, defectus nimirum madoris circa partes genitales, ſpurcitiei & fetoris abſentia, &c. Alia verò ſunt quæ majorem merentur attentionem, qualia ſunt abdominis, & præſertim regionis uterinæ intumeſcentia, uteri dolor ad lumbos, extenſus, earumdem partium calor præternaturalis, difficultas reſpirandi, febris lypiria, dolor internus capitis, animi deliquium; & tandem omnibus in pejus ruentibus, accedit nunc peripneumonia, nunc hepatitis, phrenitis modò, & modò gravis uteri inflammatio, &c.

Non tamen juxta tot ſymptomata, non ſemper alioquin eſſentialia, poſſumus morbum illum definire, ſed viâ aut modo longè breviori, nec minus tamen affectûs naturam explicante.

Definiatur itaque illa evacuationis uterinæ puerperium præcisè ſequentis, abolitio, aut juxta copiam aut durationem imminutio notabilis functiones varias neceſſariò læſura.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Licet quam plurimæ ſint hujus morbi differentiæ, illas tamen omnes à diſtin-

ctis & parum numerosis capitibus deducemus, à diversa scilicet morbi naturâ, qua lædi solent functiones; à diversa symptomatum vehementiâ, à variâ eorumdem complicatione, & à causarum varietate, &c.

1°. Itaque suppressio lochiorum vel pendet ab imminutione copiæ, intra datum aut saltem præfixum tempus, liquoris secernendi, vel pendet à contractâ nimis duratione. Hinc morbi differentia penes illius naturam, cui profecto conjungi potest altera, quæ vel abolitionem, vel imminutionem constituit.

2°. Prout symptomata sunt mitia vel gravia, exsurgit altera differentia, quæ respicit symptomatum vehementiam variam.

3°. Vel solius illius lochiorum suppressionis, symptomata apparent, vel cum illis aliorum & quoque morborum symptomata manifestantur; hinc altera differentia quæ respicit vel morbi simplicitatem vel complicationem, &c.

4°. Causæ hujus morbi possunt variare, eadem ratione, quâ causæ immodici lochiorum fluxûs variant ut superius probatum est; contrariorum enim ut plurimum contraria est ratio, sed de his statim agemus.

CAUSÆ.

Ex inverſo ordine cauſarum, lochiorum immodicum fluxum producentium, habentur præcisè quidem ejuſdem fluxus ſuppreſſionis cauſæ, omnes tum proximæ tum remotæ. Hinc,

Hujus ſuppreſſionis cauſa proxima ſit abolita vel imminuta abſolutè, vel reſpectivè, ampliatio vaſorum uteri ſanguiferorum, aut lymphaticorum vel utrorumque ſimul in puerperis.

Hanc quidem cauſam quam plurimæ aliæ producunt: verum omnes illas ad peculiares tantum reducemus, ad imminutam ſcilicet humorum molem, retardatum illorum motum, auctam eorumdem ſpiſſitudinem, intenſam vaſorum uterinorum reſiſtentiam, & abſolutam conſtrictionem aperturarum in uteri vaſis. Nam illæ quidem cauſæ ab aliis proficiſcuntur, Sic.

1°. Imminuunt humorum molem minuta chyli, adaucta ſudoris, aut perſpirationis copia, immodicæ evacuationes uterinæ aut artificiales aut naturales, &c. illas producunt variæ aliæ omnibus notæ. Verum à prioribus producta ſuppreſſio morboſa non eſt.

2°. Fluidorum motum retardant ſolidorum imminuta elaſticitas & debilitata contractio, imminuta humorum moles, eorumdem coagulatio aut craſſities, quam producunt craſſitiem prava chili conſtitutio, imminutus cordis motus, corpora frigida, acida, &c.

3°. Fluida inſpiſſant, acida, aceſcentia, ſeroſorum humorum evaporatio, frigida corpora, præpoſterus aſtringentium & farinaceorum medicamentorum uſus, &c.

4°. Solito majorem vaſorum uterinorum reſiſtentiam producunt plures cauſæ, prægreſſæ cicatrices, tumores ſκirrhoſi, œdematoſi, cancroſi, obſtructiones plurimæ, aſtringentium abuſus, vaſorum ſiccitas, & coriacea quaſi conſtitutio, &c.

5°. Tandem uterina vaſcula conſtringunt vel internæ vel externæ cauſæ. Internæ ſcilicet, medicamentorum, aut alimentorum aſſumptorum, vi aſtringenti pollentium prægreſſus uſus, fluidi nervalis in uterina vaſcula præceps influxus, uteri ulcera, vulnera, &c. Inter illas meritò recenſeri poterunt violentæ animi paſſiones variæ, triſtitia nimirum, timor, odium, &c.

Cauſæ verò externæ, vaſa, conſtrin-

gentes, uterina, sunt v. g. injectiones frigidæ, acidæ, astringentes, frigus externum, lotio pedum in liquoribus frigidis, partis cujuscumque corporis expositio imprudens aëri frigido, &c.

Si verò aggrediremur examen omnium causarum, exaratas jam causas foventium, profectò hoc esset morborum plurimorum à mulieribus etiam distinctorum theoriam aggredi, quod propositi nostri ratio nullatenus expostulat.

SYMPTOMATA.

Ex variis symptomatibus hujus morbi, non nulla tantùm, ceu essentialia magis, magisve frequentia explicationi juvat subjicere.

1°. Itaque tumet in hoc morbo abdomen & præsertim regio uterina, quia, quæ non possunt excludi fluida, partium adjacentium sed præsertim ipsius uteri vasa, nimis replent; hinc intumescentia abdominis, & præsertim regionis uterinæ hypogastricæ.

2°. Dolet uterus, quia nimis repleta vasa distractionem inferunt fibrillis nerveis, hæc distractio in consensum trahit uteri ligamenta; hinc uteri dolor ad lumbos, &c. extensus.

3°. Ex majori humorum collectione in vasis uterinis sequitur major partium attritus, & violentæ magis solidorum succussiones, unde illarum partium calor.

4°. Adest anhelosa respiratio, vel quia adaucta abdominis moles præpedit liberam diaphragmatis contractionem, vel quia variæ liquorum, partes, stagnantium, & vitiatorum ad pulmones truduntur. Hinc vasorum pulmonarium turgescentia, atque adeò diameter imminuta vesicularum aerearum: hinc difficilis respiratio.

5°. Febris adest aliquando lipyria, quia à vasorum ingurgitatione intenditur intùs humorum motus tumultuarius, dum spissitudinis ratione, quæ ad peripheriam corporis truduntur fluida, minori gaudent motu; unde febris lipyria, in quâ interiora quasi uruntur, dum exteriora frigent.

6°. Ex eodem capite desumi potest dolor internus capitis, & à segniori liquorum variorum ad cor refluxu, vel lacessito motu nimis violento tandem ineptum evadit cor ad contractiones edendas.

7°. Omnibus in pejus ruentibus, colligitur subitò præternaturalis copia sanguinis aut in pulmonibus, aut in cerebro, aut in hepate aut in utero: unde

peripneumonia nunc, nunc phrenitis, nunc hepatitis, & frequenter gravis uteri inflammatio, hæmorrhagia narium, vomitus sanguinis, &c.

DIAGNOSIS.

Ex supra dictis satis quidem patet hujus morbi diagnosis, nec cum ullo alio morbo potest confundi: nam data in uterinis vasculis sufficienti humorum copiâ, & statim post partum abolitione vel imminutione fluxûs lochiorum accedente cum notabili functionum læsione, stabilitur morbi natura & diagnosis: hinc ad differentiarum diagnostica signa deveniendum est. Et,

1°. Si subitò sistatur lochiorum fluxus, vel si temporis successu imminuatur, vel si nulla remanserit illius gutta notabilis actu fluens, vel, &c. dignoscitur utrùm morbus consistat in imminutâ copia, vel in duratione contractâ, vel in abolitione, vel demum in suppressione tacitâ.

2°. Prout symptomata sunt lenia vel gravia, dignoscitur utrum morbus sit lenis, vel gravis.

3°. Perspecta solius hujus morbi symptomata, vel aliorum simul morborum signa, determinant utrùm morbus ille

ſimplex ſit, vel complicatus: cauſarum verò diagnoſis paulo difficilior eſt; interim tamen poteſt per conjecturas determinari. Nam,

2°. Si præceſſerint tempore, quo incipit abortus, aut laborioſa parturitio, aliæ evacuationes, aut inedia, à quacumque proficiſcatur cauſa, humorum defectus accuſandus eſt, vel accuſanda imminuta moles.

2°. Si mœror adfuerit, ſi pulſus lentus, parvus, debilis ſit, ſi abdomen molle deprehendatur, retardatus humorum motus aut eorumdem ſpiſſitudo cauſa eſt.

3°. Si præceſſerint notæ uteri obſtructiones ſκirrhoſæ vel ulcera, vel cicatrices, vel præſens inflammatio uteri, dignoſcitur morbum produci à variâ vaſorum reſiſtentia, &c.

4°. Remedia nimis aſtringentia, inſpiſſantia, coagulantia, & frigus quomodocumque ſuſceptum, timor ſubitaneus, mœror, triſtitia, aliæque ejuſdem generis animi paſſiones, indicant ſatis morbum produci ab abſolutâ vaſorum uterinorum conſtrictione.

PROGNOSIS.

Lochiorum ſuppreſſio præternaturalis

morbum constituit capite multiplici periculosum. Nam,

1°. Liquida in uterinis vasculis contenta per totum graviditatis spatium sedimenta relinquunt varia, variæque naturæ, quæ dum non excluduntur post partum, vel in toto corpore, quia massæ sanguinis miscentur, vel in particularibus partibus luxuriant; unde strages variæ & sæpè lethales.

2°. Vasa, in quibus reconduntur illa fluida, præter naturam premuntur, constringuntur, dilacerantur, hinc inflammatio, ulcus, gangræna, &c.

3°. Symptomata gravia, quæ hanc suppressionem subsequuntur, ut inflammatio uteri, phrenitis, peripneumonia, &c. satis declarant morbum esse periculosum.

Verùm illa generalis hujus suppressionis prognosis variare solet juxta varias circumstantias. Et,

1°. Cateris paribus, minus portendunt periculum species illæ quæ pendent, aut à contracto tempore, aut ab imminutione evacuationis: majus verò periculum portendunt illæ, quæ consistunt in imminutâ copiâ aut in evacuationis abolitione.

2°. Minùs periculosa est illa suppres-

ſio, quæ mitia; quæ verò graviora habet ſymptomata conjuncta, magis periculoſa eſt.

3°. Si cætera ſunt paria, ſuppreſſio quæ propriis tantùm ſtipatur ſymptomatibus, minùs, magis verò gravis futura eſt illa, quæ & propriis & alienis ſimul ſtipari ſolet.

4°. Paulò quidem difficiliùs eſt diverſam cauſarum prognoſim ſtabilire, nam unaquæque cauſa, ad aliquos gradus extenſa eamdem affert vitæ formidinem.

Interim tamen nonnulla poterunt determinari diſtinctiva & generica, ſaltem illarum cauſarum ſigna prognoſtica: ſic,

1°. Si cætera paria ſunt, retardatus humorum motus minus portendit periculum, quam abolita vel etiam imminuta humorum copia.

2°. Sub pari reſtrictione ſuppreſſio lochiorum quæ pendet ab humorum ſpiſſitudine minus periculoſa eſt illâ, quæ proficiſcitur à vaſorum uterinorum inveterata præſertim reſiſtentiâ.

3°. Prout major eſt vis & energia cauſarum, abſolutam vaſorum uterinorum adductionem aut conſtrictionem producentium, & prout magis vel minus gravia producuntur ſymptomata, magis vel minus periculoſa eſt ſuppreſſionis lochiorum prognoſis.

CURATIO.

Ut instituatur hujus morbi curatio, varia sunt consideranda. Tollenda, præprimis est vasorum uterinorum præternaturalis constrictio. Et in hoc consistit generalis indicatio morbi curatoria, causarum variarum ratio habenda, imo & urgentiorum symptomatum vehementiæ variæ.

1°. Verùm ut tollatur constrictio vasorum, causis illam producentibus prospiciendum est; si itaque pendeat morbus à penuria liquidorum, corrigendum cibi fastidium, restituenda appetentia, vel promovenda digestio, &c.

2°. Si retardetur humorum motus, stimulanda est cordis contractio, arteriarum elasticitas exsuscitanda, restituenda humorum moles, incidenda spissitudo, &c.

3°. Vasorum uterinorum resistentia tollenda, si dignoscatur, ratione habita ad varias causas, &c.

4°. Frangenda est energia causarum exteriùs vasa constringentium.

5°. Symptomata sunt mitiganda modo multiplici: sic in animi deliquiis, lenia cardiaca; in immani calore, refrigeran-

tia; in pulsûs intensione, phlebotomiæ, sunt instituendæ.

Verum quandoquidem illa suppressio frequenter pendeat ab humorum spissitudine, aut vasorum crispatura simul aut seorsim: hinc diæta præscribenda est tenuis, liquida & leviter incidens. Vescatur puerpera offis, panatellis, ovis sorbilibus, &c. pro potu ordinario sumat ptisanam sequentem.

℞. Radicum asparagi, & arundinis ana ℥ij. coque in aquæ fontanæ ℔vj. ad quartæ partis consumptionem, sub finem coctionis infunde foliorum cichorei & boraginis ana m. j. coque per horæ quadrantem, fiat ptisana.

Bis in die sumat jusculum leniter incidens, aperiens, sub sequenti formulâ.

℞. Radicum pimpinellæ, saxifragæ, & fœniculi, ana ℥j. foliorum apii hortensis & nasturtii aquatici ana m. j. coque cum pullo juniori gallinaceo; sub finem coctionis adde seminum seseleos Massiliensis, milii solis, & paliuri, ana p. j. fiat jusculum.

Conveniunt & quoque venæ sectiones

in talo præſcribendæ; in brachio verò ſi præſens vel brevi futura eſt uteri inflammatio.

Utiliter & quoque præſcribuntur clyſteres ſemel ſaltem quolibet die ſub ſequenti formula.

℞. Radicum apii & liliorum ana ℥ij. foliorum mercurialis & parietariæ ana m. j. coque in ſ. q. aquæ colaturæ ℥x. adde olei amygdalarum dulcium ℥ij. fiat clyſter.

Nec omittenda ſunt medicamenta externè applicanda & partibus mulierum pudendis & regioni hypogaſtricæ, ſub formâ linimentorum, & fomentorum ſive fotuum.

Lenes & quoque purgationes videntur convenire poſt aliquot dies: illarum purgationum formulæ omnibus notæ ſunt.

Hujus curationis calci liceat aliqua ſubjungere. Et,

1°. Quidem, dum pendet præcisè ſuppreſſio lochiorum à tranſlatione humorum uterinorum ad mammas, vel nulla ſunt præſcribenda remedia, ſi puerpera voluerit nutrire, niſi adfuerint gravia ſymptomata, in quo caſu ea inſtituenda ſunt remedia, quæ inferiùs indigitabuntur, dum de febre lacteâ.

2°. Linimenta & fomenta componuntur ut plurimùm ex iis quæ poterunt emollire & discutere, qualia sunt olea de croco, de cinnamomo, de spicâ nardica, de jasmino, amygdalarum dulcium, &c. fomenta verò ex decocto parietariæ, mercurialis, apii, &c.

3°. Nec negligenda sunt remedia sive auxilia peculiaria præsertim dum revocandus est, humorum ad uterum motus major, majorque copia, talia sunt partium infernarum frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, scarificationes, imò & pessaria, injectiones, unctiones, &c.

CAPUT VII.

De Febre lactea. Morbi descriptio & definitio.

EX hujus morbi symptomatum serie ritè perspectâ, desumenda est illius descriptio; itaque quatuor, quinque aut circiter elapsis post partum diebus, puerperas ut plurimum invadunt sequentia symptomata, oscitationes, pandiculationes, rigores, horrores, dolores vagi & erratici, sitis molesta, & dolorifica mammarum intumescentia.

His omnibus ſuccedunt pùlſus frequens, validus, irregularis, dolor capitis, univerſus corporis calor, aucta mammarum turgeſcentia, ita ut ad axillas extendatur, & venæ hactenus parum notabiles nigreſcant ad ſenſum : accedentibus tamen lochiorum fluxu hactenus ſuppreſſo, vel ſudoris quantitate requiſitâ vel præſertim humoris lactei per papillas mammarum evacuatione libera, miteſcunt plerumque laudata ſymptomata.

Verùm juxta jam laudata ſymptomata, numeroſa nimis nec lubet nec licet hunc morbum definire.

Definiatur itaque illa febris continuæ ſpecies quæ puerperis accidit cum mammarum intumeſcentiâ præternaturali, aliiſque utplurimum ſymptomatibus variis.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Præcipuæ quidem hujus morbi differentiæ deſumi poterunt, vel à diversâ morbi duratione, vel variâ ſymptomatum vehementiâ, vel earumdem ſimplicitate aut compoſitione, vel demum ex cauſarum varietate, &c. Sic;

1°. Vel per breve tantùm temporis, vel per longum ſatis illius ſpatium per-

durare ſolet morbus ille; hinc una differentia penes diverſam durationem.

2°. Vel lenia aut naturalia ſatis, vel gravia ſunt ſymptomata; hinc altera differentia penes ſymptomatum vehementiam.

3°. Aut ſolius morbi ſymptomata apparent, aut cum illis junguntur aliorum morborum ſymptomata: hinc differentia juxta ſimplicitatem aut complicationem.

4°. Vel à præternaturali vaſorum uterinorum reſiſtentiâ, vel ab eorumdem conſtrictione violentâ, vel demum ab illorum naturali depletione, collapſu, & coalitu ſoboleſcit, remotè ſaltem illa lactea febris: hinc tandem illius morbi differentia juxta cauſarum varietatem numeroſam, ſed de his ſtatim.

CAUSÆ.

Morbus ille, ut receptum fert illius nomen & recepta denominatio pro cauſa agnoſcit proxima ſubitaneam redundantiam, aut humoris lactei aut præcipui lactis vehiculi irregularem & tumultuariam in tota ſanguinis maſſa, & magis in ea quæ ad mammas tranferri ſolet. Datâ enim illâ cauſâ in puerperis, datur

lactea febris cum intumescentiâ mammarum, & cæteris plerumque symptomatibus, sublataque tollitur, aut cessat illa febris species.

Illa quidem causa proxima febris lacteæ licet ab quam plurimis aliis proficiscatur causis, illas tamen omnes, ad tres tantùm juvat reducere, ad præternaturalem vasorum resistentiam, ad constrictionem violentam, & ad eorumdem naturalem collapsum, depletionem, & quasi coalitum.

1°. Itaque dum appellentibus post partum liquidis ultra modum resistunt uterina vascula, per collaterales ramos truduntur liquida, & præsertim lactis vehiculum, unde illius redundantia in humorum massa. Resistunt autem uterina vasa vel quia cicatricibus indurantur, vel quia convulsionibus constringuntur aut crispantur, vel quia ulceribus depascuntur, vel tumoribus variis infestantur, vel inspissatis liquidis irrorantur, &c.

2°. Ex violentâ constrictione vasorum uteri occluditur via fluxuris alioquin, per vasa, liquidis: hinc eorum redundantia, & sæpè lactea febris prava admodum. Hanc constrictionem pariunt varia remedia astringentia, acida, acescentia, frigus, injectiones variæ, &c.

de quibus alibi fusiùs actum est.

3°. Tandem (& in statu consueto & naturali magis hoc solet accidere) duobus, tribusve post partum diebus, & liberè hactenus fluentibus lochiis, jam sensim minuuntur, & qua proportione imminuuntur, deplentur uterina vascula & quâ proportione deplentur collabescunt, & inde partium dilatatarum accessus sive inde coalitus: hinc lactei humoris vel vehiculi lactei motus tumultuarius sanguineæ massæ communicandus & præsertim liquorum moli ad mammas tendenti, ob commercium intimum vasa inter uterina & sanguifera mammarum vascula; hinc febris lactea & diversa illius symptomata, ut patebit ex dicendis.

SYMPTOMATA.

Præcipua tantum hujus morbi symptomata explicationi exponemus; cætera enim, vel per se patent, vel ex aliorum explicatione patefient.

1°. Enim dum uterina vascula, viam renuunt liberam liquidis fluentibus, resistentia offertur liquidis, per pulmones, & musculos circulantibus: hinc illorum ibidem stases, atque adeò inassuetum pondus; quod, ut dimoveatur,

vel ſagax natura, ſibi ſemper & ſuæ ut plurimum conſervationi provida, varios exerit conatus: hinc oſcitationes, & pandiculationes.

2°. Rigores & horrores ſubſequuntur, quia liquores qui in utero retinebantur, ſanguini permiſcentur, illiuſque motum ſubitò obtundunt, hinc & ob imminutum motum, & ob ſubitaneum impetum vaſculis continentibus oblatum, frigus & horripilatio.

3°. Dolores ſubſequuntur vagi & erratici, quia jam à vaſorum repetitis contractionibus fluida magis moventur & caleſiunt, unde major ſtimulus nervoſos funiculos diſtrahens, nunc in una nunc in alterâ parte prout major fuerit diſpoſitio vulgo dicta: hinc dolores vagi, & erratici, &c.

4°. Ob tumultuoſum humorum motum liquida perluſtrantia linguam & imas fauces, vel ob majorem ſpiſſitudinem, fibrillas non poſſunt attingere, ut eas demulceant, vel ob majorem motûs impetum, ſufficientem non trahunt moram, ut fiat ſatis ampla & profunda depoſitio ſucci ſalivalis; unde criſpatio illarum fibrillarum, atque adeò ſitis morboſa.

5°. Intumeſcunt mammæ, quia major proportione datâ humoris lactei, vel ejuſ-

dem vehiculi copia (ob rationes ſuperiùs allatas) ad mammas determinatur, quæ, dum nimis replentur collateralia premunt vaſcula : hinc tumor ad axillas extenſus, venarum nigredo, &c.

6°. Fit febris, quia major humorum moles, canales reducentes ſive venoſos ductus, tranantes, majores & frequentiores cordis dilatationes ſollicitant : hinc frequentior, violentior ac magis irregularis arteriarum motus, & inde febris : ex eo capite deſumi poterunt dolores capitis, corporis univerſalis calor, &c.

7o. Verùm accedente evacuatione aliquâ notabili, lactei præſertim humoris per mammarum papillas, ſudoris, alvi fluxûs, lochiorum, purgationis menſtrualis, urinæ, ſalivæ, &c. nihil mirum ſi ſubitò vel ceſſent vel miteſcant omnia jam exarata febris lacteæ ſymptomata. Si verò tales non apparuerint evacuationes, varia ſubſequi ſolent mala.

Diagnosis.

Febris quidem lactea ſatis patet ex ſupra dictis : nihilominus tamen juvat illam diſtinguere à febribus, cum quibus confundi poteſt ; & deinde conabimur diſtinguere varias illius differentias, &,

1°.

1°. Poteſt puerperis accidere aut febris ephemera, aut ſynochus ſimplex aut febris putrida : verum ab illis diſtinguitur febris lactea ob tumeſcentiam mammarum, ob lactis fluxum per mammarum papillas, ob contractam illius durationem, & demum ob abſentiam variorum ſymptomatum putredinem indicantium, quæ tamen ſi acciderint puerperis cum mammarum turgeſcentiâ, & præſertim lactis fluxu, ut accidit non rarò, tunc febris lactea complicabitur cum febre putridâ.

2°. Per durationis differentiam dignoſcitur utrum ſit brevis vel longa illa febris ſpecies licet rarò longa ſit ratione ſui.

3°. Ratione diverſæ ſymptomatum vehementiæ cognoſcitur utrum morbus ſit levis vel gravis.

4°. Ratione propriorum tantum, vel aliorum morborum ſymptomatum miſcelæ dignoſcitur utrum morbus ſit ſimplex vel complicatus.

5°. Ex prægreſſis & plerumque chronicis uteri affectibus, vel ex iis quæ tempore partûs tantùm ſupervenere accidentia, vel ex pacatâ ſatis ſymptomatum ſerie, brevique ceſſurâ, dignoſcitur utrum à vaſorum uterinorum reſiſtentiâ,

O

vel ab illorum violentâ constrictione, vel tandem à naturali eorumdem vasorum depletione, collapsu & gradario coalitu pendeat illa febris lactea.

PROGNOSIS.

Febris lacteæ prognosis, seu eventus illius morbi varius est ob diversarum circumstantiarum varietatem : nam,

1°. Cum febris illa simplex est, minus portendit periculum, quàm cum complicata est, cæteris semper paribus.

2°. Cum lenia sunt symptomata, minùs; quando verò graviora sunt, magis periculosa est morbi prognosis.

3°. Cum varias uterinorum vasorum resistentias, constrictiones eorumdem multifarias sequitur febris lactea, æque ad minus periculosam habet prognosim, ac morbi illi quorum effectùs est, & morbi illi penes signa prognostica solent variare ratione, graduum, intensionum, causarum, symptomatum, durationis, &c.

4°. Dum febris lactea producitur præcisè à vasorum uterinorum depletione, & quod depletio illa sequatur exactè naturalem lochiorum fluxum, & vasorum nativum collapsum & quasi coalitum

agnoscit pro causâ, morbus ille tanquam quid naturale (nisi læsio functionum præpediret) spectandus est.

5°. Verùm si illa febris species aut conjungatur cum primarum viarum saburrâ, putredine, &c. aut varias tumorum species in mammis producat, qui nunc skirrhosi, nunc œdematosi, nunc phlegmonodei sunt (licet prognosis febris parum gravis sit, vel imò omninò cesset morbus, ratione tamen illorum tumorum, qui tanquam, totidem consequentiæ morbi, spectandi sunt, variat plurimum eventus, & eventus ille plurimum dependet à diversâ & sæpè prægressa humorum dispositione.

CURATIO.

Lacteæ febris indicationes curatoriæ aliquandò variæ sunt, aliquando nullæ; nam,

1°. Dum vasorum uterinorum resistentia solito major causa est illus febris; examinandum sedulo in quo consistat illa resistentia: si enim proficiscatur à cicatricibus, ulceribus, tumoribus, structurâ tunicarum coriaceâ, &c. remediorum sive auxiliorum genera varia & peculiaribus illis causis profligandis adaptata,

ſunt in uſum vocanda; verum ſi, aut illarum cauſarum, aut remediorum convenientium examen aggrediremur, in immenſum extenderetur noſtra febris lacteæ diſquiſitio, &c.

2°. Dum natales ducit febris illa à violentâ conſtrictione vaſorum uterinorum, tot ferè ſunt indicationes curatoriæ, quot ſunt modi juxta quos vaſa illa conſtringuntur. Interim tamen generalis indicatio in eo conſiſtit, ut occluſæ viæ aperiantur: ſed aperiendi norma multiplex eſt, ut ſuperiùs diximus dum de ſuppreſſione lochiorum à tali cauſâ originem ducente ſermo erat.

3°. Verùm ſi poſt finitum jam lochiorum fluxum naturalem, nativum vaſorum uterinorum collapſum, & gradario paſſu incipientem coalitum eorumdem accedat lactea febris intra debitum tempus, & citra gravia ſymptomata, tùm quoad intenſionem, cùm quoad durationem, profectò nulla eſt curatoria indicatio, ſtatus enim ille licet morboſus dicatur, quia læſio adeſt functionum, naturalis tamen, quoad effectus, & uſus, cenſendus eſt, ſicut & dolores qui parturitionem etiam naturalem concomitantur, ſymptomata quæ conceptioni, ſociantur, &c. Nihilominus tamen in

ipsâ etiam quasi naturali febre lacteâ duo sunt necessario consideranda, intensio nimirum symptomatum & morbi consequentiæ.

1°. Itaque si vehementia symptomatum nimis intendatur, instituenda diæta tenuis, liquida & refrigerans, injiciendi clysteres ejusdem naturæ, & celebrandæ venæ sectiones, &c. De talibus autem remediis supra fusiùs egimus & simul de eorum formulis : hinc inutile foret ea repetere.

2°. Consequentiæ plerumque respiciunt mammarum tumores qui vel præcaventur vel qui semel facti, & formati curari debent, ut præcaveantur, iterandæ sunt venæ sectiones, iterandi clysteres, præscribenda lenia cathartica, & remedia mammis applicanda, quæ aliquam offerunt resistentiam liquoribus, ad mammas violenter appellentibus: hinc fovendæ sunt mammæ decocto mentæ, absinthii minoris, chamædryos chamomæmeli, &c. fomentis urinæ recentis, vini rubri tepidi, &c.

Verùm si hæc omnia sine ullo præscribantur successu, & tumor mammarum subsistat calens, dolens, &c. applicetur statim cataplasma sequens vel similis.

℞. Micæ panis albi ſ. q. coque in lactis ℔j. adde vitellos ovorum nº. ij. croci orientalis p. ij. fiat cataplaſma & renovetur.

At ſi omnia in pejus ruant, nec tumor mammarum reſolvatur, illius ſuppuratio omni operâ promovenda eſt, hinc applicanda ſunt ſuppurantia ſub cataplaſmatum formâ.

℞. Radicum althææ & liliorum ana ℥ij. coque ad putrilaginem foliorum acetoſæ & acanthi ana m. ij. coque ſub cineribus ad putrilaginem. Pulpæ utrorumque per ſetaceum trajectæ adde unguenti baſilici, & fermenti veteris ana ℥j. olei liliorum ſ. q. fiat maſſa cataplaſmatum.

Verùm dum tempore, quo promovetur tumefactæ partis ſuppuratio, dolores ſæpè intendantur & vigiliæ moleſtæ admodum ſint, inſtituendus, imò renovandus eſt julepus narcoticus ſequens aut conſimilis.

℞. Aquarum liliorum & portulacæ ana ℥ij. ſirupi papaveris albi ʒvj. aquæ

florum aurantiorum ℥ij. fiat julepus.

Jam verò apparentibus factæ suppurationis signis, quæ plerumque manifestantur mollitie, fluctuatione, aliquali albedine, &c. pars magis declivis lanceola aperienda est, ut puri exiturienti via concedatur libera.

Deinde per aliquot dies tenenda est facta amplitudo aperta, turundarum ope, ovorum vitellis, & oleo rosaceo illinitarum.

Injectiones quoque bis aut ter in die detersivæ injiciendæ sunt qualis est sequens.

℞. Decocti hordei & hyperici partes æquales mellis rosacei ℥ij. fiat injectio.

Hinc jam propositæ febris lacteæ curationi generali juvat subnectere annotationes nonnullas. Et,

1°. Quidem loco cataplasmatum jam præscriptorum suppurantia aliquando simplicia substitui poterunt, quæ & præ manibus faciliùs reperiuntur, & quæ optatos sæpè producunt effectus. Talia sunt sub cineribus cocta folia acetosæ, radi-

ces liliorum coctæ, cæpa alba pariter cocta cum theriaca veteri, aut terebinthina, limaces è cochlea ſeparati & ſufficienter contuſi, &c.

2°. Ut melius & efficaciùs detergatur ulcus ſæpè, in hac præſertim regione, mira præſtant injectiones ex aquis Bellilucanis, ex aquis Baregenſibus, &c. & in omnibus regionibus decoctiones abſinthii minoris, ſcordii, chamædryos, &c.

3°. Eodem quoque tempore, laxanda eſt alvus aut clyſteribus aut purgationibus ſæpè iterandis, &c.

CAPUT VIII.

De Dolorificis, aut ſaltem viſu tactuque fœdis mammarum & abdominis poſt partum rugis. Morbi deſcriptio & definitio.

ELapſo tertio graviditatis menſe, dum gravidæ præſertim primiparæ & juniores ſunt, ſenſim grandeſcens fetus, partibus quibus conſtat magis aut minus expanſis, magis & quoque aut minus duris, multifariam premunt & diſtendunt flexibilia abdominis tegumenta, illo tamen

ordine, ut aliæ diſtendantur magis, dum vicinæ liberæ vel quaſi liberæ reperiuntur partes illorum tegumentorum.

Verùm dum uterus ſarcinâ liberatur, ceſſant cauſæ abdominalia viſcera diſtendentes, & dilatantes; hinc illarum partium collapſus, plicas, rugaſque efformans, nunc flavas, virides modo, aliquando pallidas, nonnunquam nigras, &c. nunc citra dolorem ullum, nunc verò cum dolore multiplici, &c.

Pari, vel parum abſimili modo, quâ proportione in mammis incipit gradatim colligi lactea materies & præſertim poſt partum, dum incipit & exaſperatur lactea febris, inæqualiter glandulosa mammarum ſubſtantia diverſimodè repletur, dilatatur, diſtenditur; hinc vel ante partum ſed præſertim excluſo fetu, varii mammarum, & præcipuè juxta earum papillas, ſulci, rimæ variæ, & rugæ diverſi generis, diverſi coloris, plerumque inflammatæ; ſæpè ulceratæ, &c. Hæc itaque eſt generalis illarum rugarum deſcriptio, quæ tamen breviori prorsùs methodo poterunt definiri.

Sunt itaque abdominis & mammarum, aut tegumentorum illarum partium ſulci præternaturales à graviditate oriundi, & ſymptomatibus, aut tactu, aut viſu,

aut dolore notabilibus ſtipati.

MORBI DIFFERENTIÆ.

Præcipuæ hujus morbi differentiæ deſumi poterunt ex diverſo tempore, quo accedit, & diverſitate ſymptomatum & ex cauſarum varietate.

1°. Itaque vel tempore graviditatis vel poſt partum accedit morbus ille: hinc differentia morbi penes diverſum tempus quo ſolet accidere.

2°. Nunc plumbeæ, nunc flavæ, nunc virides, &c. apparent partes affectæ, aliquando doloris expertes, aliquando dolorificæ admodum, imò inflammatæ, aut ulceratæ ſunt partes: hinc altera differentia juxta ſymptomatum varietatem.

3°. Vel ex repletione uteri & mammarum, vel ex diversâ partium contentarum duritie, aut aucto motu, vel ex ipſorum tegumentorum flexibilitate ſoboleſcit morbus illle: hinc altera illius differentia juxta cauſarum diverſitatem ſed jam fuſiùs de illis.

CAUSÆ.

Licet nullius ferè momenti ſit hujus morbi cauſam proximam & immedia-

tam ſtabilire, nihilominus tamen, ne videamur à conſuetudine propoſitâ jam in ultimo horumce morborum curſu, recedere; dicimus cauſam hujus morbi proximam eſſe diſtenſionem inæqualem tegumentorum abdominis & mammarum, graviditatis tempore, aut febris lacteæ incurſu, aut demum eorumdem tegumentorum ſubitaneo collapſu poſt fetûs excluſionem aut lactis per mammarum papillas evacuationem, aut illius liquoris ad alia corporis cola derivationem.

Hanc cauſam inducunt variæ aliæ: ſed illas reducemus ad peculiares tantum, ad repletionem nempè uteri & mammarum, ad duritiem partium contentarum, aut inæqualem molem & tandem ad tegumentorum flexibilitatem variam, &c.

1°. Itaque dum in primiparis tumeſcit uterus, aut in aliis ab aucto fetuum numero, aut à lactis impetu & mole dilatantur mammæ, expanduntur illarum partium tegumenta & variè variaſque efformant in collapſu rugas; hinc repletio uteri, & mammarum, & illarum partium collapſus cauſa eſt illarum rugarum, &c.

2°. Ex inæquali duritie fetûs, partium,

capitis nimirum manuum, pedum, &c. sequitur necessariò violentior uterinorum tegumentorum expansio, & distensio inæqualis; idem & quoque mammis accidit, vel ob inæqualem lactis distributionem vel ob glandularum figuram & interstitia varia: hinc altera rugarum causa.

3°. Pro majori tegumentorum tenuitate & flexibilitate, minùs resistunt, aut pressioni à fetu inductæ aut mammarium glandularum expansioni: hinc vividiores impressiones, & in expansione & in collapsu tegumentorum: hinc altera dispositio rugarum formationi non parum favens.

SYMPTOMATA.

Perpauca ut plurimum sunt hujus morbi symptomata, præcipua saltem, partium nimirum eminentiæ & cavitates, diversicolores, nunc nulli, nunc graves dolores, aliquando inflammationes, & ulcera, &c.

1°. Rationibus jam allatis, aliæ tegumentorum abdominalium & mammarium partes magis tenduntur, dum vicinæ liberæ sunt: hinc eminentiæ, & cavitates variæ, seu sulci varii.

2°. Prout diversi generis vasa tenduntur aut libera redduntur, vel prout diversa est tensionis intensio, aut varia est liquorum in vasis contentorum dispositio, compositio, diversa quoque futura est circulantium per partes rugosas liquidorum superficies, hinc diversicolores.

3°. Prout nullo modo vel violenter distrahuntur fibrillæ nerveæ vasis compressis & distentis intertextæ: hinc vel nulla adest dolorifica sensatio, vel dolores varii sunt.

4° Pro minori tegumentorum resistentiâ, & pro diversâ humorum dispositione inflammatoriâ nunc inflammationes variæ, & ulcera multigena, &c.

DIAGNOSIS.

Diagnosis certè hujus morbi ex dictis patet, tactu aut visu demonstratur, atque adeò ulteriori vix indiget indagatione. Nam quod spectat differentiarum diagnosim, illa profectò vel parum attendenti clara satis futura est. Sic,

1°. Si rugæ illæ aut graviditatis tempore, aut post partum tantum apparuerint, dignoscitur diversum morbi tempus.

2°. Quod respicit diversos rugarum

colores, hoc dignoſci poteſt vel viſu vel ægrarum relatu.

3°. Factâ & quoque reflexione ſeriâ, dignoſcitur utrum ſimplex repletio uteri, aut mammarum aut partium contentarum durities, motus inæqualis, aut inæqualis ſuperficies, aut tandem tegumentorum minor reſiſtentia, aut ſeorſim aut ſimul morbum producat.

P R O G N O S I S.

Hic morbus ratione ſui parum periculoſus eſt, interim tamen non omninò negligendus eſt, quia & parum gratos relinquit ſulcos in abdomine, & in mammis rugas ſæpè inflammatas, & non numquam ulceratas, & dolores excitantes & febres diverſæ naturæ ſollicitantes, & lactis diſpoſitionem variis modis alterantes, & mammarum papillas decurtantes & ſæpè depaſcentes, & demum recens natæ prolis ſuctionem laborioſam reddentes, &c.

C U R A T I O.

Hujus morbi indicationes curatoriæ in eo verſantur, ut præpediatur actio cauſarum tegumenta abdominis & mam-

marum modis variis tendentium, aut ut tenſa hæc tegumenta molliora reddantur, eo nimirum fine, ut faciliùs patiantur corporum tendentium impetus & ut æquabilior reddatur, in illis, humorum circuitus.

At primæ indicationi nequit ſatisfacere medicus, nulli enim licitum eſt, partes fetûs in utero diverſimodè expanſas retrahere, obtundere, comminuere, nec vis lactis mammas expandentis infringi aut debilitari ſemper debet.

Hinc alteri tantum indicationi proſpiciendum eſt. Illa autem indicatio adimpletur fomentationibus, unguentis, & linimentis variis & intra & extra graviditatis terminos ſæpè applicandis.

Graviditatis tempore præpediuntur illæ rugæ, ſi partes ſæpè illiniantur oleo ovorum, aut oleo lini aut oleo amygdalarum dulcium, &c.

Poſt partum factæ jam rugæ tolluntur, adipe hedino, oleo hyperici, oleo amygdalarum dulcium cum paucâ quantitate ceræ novæ, & ſufficienti quantitate aquæ roſarum ita ut unguentum efformetur.

Vidi mammarum rugas inflammatas, & ulceratas, intra viginti quatuor ho-

rarum, ſanatas, ſpatium, cerato Galeni, quod confici ſolet ex quatuor partibus olei roſacei, & parte unâ ceræ albæ, & novæ.

FINIS.

APPROBATION.

J'Ai lu par ordre de Monſeigneur le Chancelier, *Tractatus Pathologicus de affectibus fœminarum, &c.* & n'y ai rien trouvé qui puiſſe en empêcher l'Impreſſion.

GUETTARD.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maître des Requêtes de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra: SALUT, notre amé LAURENT DURAND, Libraire à Paris, nous ayant fait expoſer qu'il deſiroit faire imprimer & donner au public des ouvrages qui ont pour titre, *Traité hiſtorique de la ſouveraineté du Roi & des droits en dépendans, à commencer à l'établiſſement de la Monarchie juſqu'à* 1751. *Eſſais philoſophiques ſur la nature du feu & ſur la nature de la philoſophie. Principes ſur les mouvemens des corps céleſtes, de la lumiere des corps terreſtres,*

P

par M. Trabaud. Regles pour former un Avocat, tirées des plus célebres auteurs anciens & modernes. Protogée, dissertation sur la forme ancienne de la surface de la terre. Tractatus Pathologicus de affectibus fœminarum præternaturalibus autore DD. Gerardo Fitzgerald Regio Consiliario & Medico. Lettres sur la Mineralogie & la Métallurgie par M. Diederik Wessel-Linden, dédiées au Comte d'Halifax. S'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilége pour ce necessaires : A ces causes voulant favorablement traiter l'exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces présentes de faire imprimer lesdits Ouvrages autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre & debiter par tout notre Royaume pendant le tems de douze années consécutives, à compter du jour de la date des présentes : Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance ; comme aussi d'imprimer ou faire imprimer, vendre faire vendre, debiter ni contrefaire desdits ouvrages, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte d'augmentation, correction, changemens ou autres, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de

ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit expoſant ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts; A la charge que ces préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris dans trois mois de la date d'icelles, que l'impreſſion deſdits ouvrages ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs en beau papier & beaux caracteres, conformément à la feuille imprimée attachée pour modele ſous le contre-ſcel des préſentes, que l'impétrant ſe conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725; qu'avant de les expoſer en vente les manuſcrits ou imprimés qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits ouvrages, ſeront remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée ès mains de notre très-cher & féal Chevalier Chancelier de France le Sieur de Lamoignon, & qu'il en ſera enſuite remis deux exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notredit très-cher & féal Cheva-

lier Chancelier de France le Sieur de Lamoignon, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur de Machault, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des présentes; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit exposant & ses ayans causes pleinement & paisiblement sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement; Voulons que la copie des présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits ouvrages soit tenue pour dûement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conseillers Secrétaires foi soit ajoûtée comme à l'original: Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires sans demander autre permission, & non-obstant clameur de Haro, chartre Normande & lettres à ce contraires: Car tel est notre plaisir. Donné à Versailles le vingt-huitiéme jour du mois de Mai l'an de grace mil sept cens cinquante-trois; & de Notre Regne le trente-huitiéme. Par le Roi en son Conseil.

SAINSON.